Auriacus, sive libertas saucia

Daniël Heinsius

bron
Daniël Heinsius, *Auriacus, sive libertas saucia*. Andream Cloucquium, Leiden 1602

Zie voor verantwoording: https://www.dbnl.org/tekst/hein001auri01_01/colofon.php

Let op: boeken en tijdschriftjaargangen die korter dan 140 jaar geleden verschenen zijn, kunnen auteursrechtelijk beschermd zijn. Welke vormen van gebruik zijn toegestaan voor dit werk of delen ervan, lees je in de gebruiksvoorwaarden.

dbnl digitale bibliotheek voor de Nederlandse letteren



Illvstrissimis, nobilissimis, amplissimis, Potentissimisqve Hollandiae & Westfrisiae Ordinibvs, *Dominis suis Magnificis.* Illvstres ordines

INter reliqua monimenta quibus vel humanum se essere ingeniu*m*, vel acuere industria consuevit; una TRAGOEDIA Regium sibi nomen vendicat: vel quod reges heroasque, ac principes in scenam ea deducat: vel quod non nisi regales, sublimesque, atque ab omni vulgari dicendi genere remotos spiritus admittat. Gravissimam eam dignissimamque omnium scriptorum esse, multis argumentis probarunt Romani, & antè eos disciplinarum autores Graeci. Ac ne apud vos rationes è Grammaticorum scholis adferamus, duplici modo eius dignitatem tuetur eius princeps Sophocles, tum quod senex eam scripsit, tum (quod propriè ad vos spectat) quod Reipublicae praefectus. Unum tamen est quod mirari saepenumerò soleam, sublimia nimirum illa ingenia, quae non sine singulari eruditione, ac praesertim sapie*n*tiae illius, quam

Moralem, Civilemque dicimus, rerum praetereà cognitione, & industriâ se ad hoc scribendi genus contulerunt, cum solam TRAGOEDIAM omnes vitae humanae casus, fortunas, pericula, eventa rerum, consiliorum exitus amplecti statuerent; prudentiae praetereà magistram esse; eâ tamen ad fabularum vanitatem, ac reru*m* deliria abusisint: nec sibi vel res gestas aeui sui, vel imperatores, subiectu*m* esse maluerint, quam Oedipodas, Aiaces, Medeas, caeteraque quibus effaeta anus antiquitas credulitati hominum turpissime illusit. Ego verò ILLVSTRISSIMI ORDINES, TRAGOEDIAM vobis offero mea*m*; imò vestra*m*: quod in eâ meu*m* est, trado vobis: quod vestru*m* est, vt gratum sit id quod offero, efficiet. Ita simul quod in reliquis Tragicis deplorari solet effugi, viamque mihi ad benevolentiam vestram praeperavi. Ego autem simul & de opere, & de operis argumento cogitare coepi, seu potius argumento dignum opus quaesivi, simulque invêni. Nec enim tam factorum gestorumque sterilis vestra Batavia est, vt in eâ materies scribendi quaeratur, quam inueniatur, citius. Hoc vobis affirmare liquidò possum, nihil ab antiquis Philosophis pluris olim, hoc vno scribendi genere, factum essse. Hinc imperatores, hinc duces, prudentia*m* apud Graecos suam hauriebant: haec illa disciplina est, quam illi per excellentiam doctrinam dicebant: hinc Tragici quotiescunque in theatrum prodirent publicè, docere ab Atheniensibus dicebantur: hinc Aristotelis; hinc

Carystij maximorum virorum περὶ διδασκαλιῶν id est de disciplinis libri. In ijs Rex philosophorum ille tempus actionis vniuscuiusque Tragoediae diligentissimè notarat. Ille sapientiae ac voti humani terminus Plato & scripsit eam, & quicquid in Philosophiâ posteà reliquit nobis, ad normam Tragicam & antiquorum τετραλογίαν direxit, vt omittam quod Dionysijs quoque certasse feratur. Omitto reliquos minorum gentium Philosophos, omitto magnum Euclidem, qui omnem propemodùm quam in sapientiae cognitione operam collocarant, ad vnum hoc studium contulerunt. Quod si eam propterea quisquam (vt sunt sinistra hominum hoc tempore iudicia) minoris putet, quod ad poëticen referatur; eum nos ILLVSTRISSIMI ORDINES per ea conuincemus, quae ipse miratur maximè: modo ne ità rerum ignarus sit, vt ab ipsâ Philosophiâ vitae humanae Reginâ abhorreat. Homeri tempore, quivnus è tam profundâ temporis antiquitate nobis relictus est, Philosophiae nomen ne fando quidem auditum fuit vnquam. Fuerunt tamen illo tempore, qui & rerum causas, principia, motus, ortus, materiem, & pulcherrimae denique machinae huius rationes inquirerent: & quae vera demùm sapientia est, fuêre & qui de moribus, de recte instituendâ hominum vitâ agerent, non publici modò, sed & priuati morum magistri: quos aetas illa simplicissima ἀοιδοὺς siue cantores dicebat. Illi matronarum thalamis absentibus maritis praeficiebantur, Regum

liberos instituebant, mores formabant hominum, virtutis causam agebant, omnia denique philosophi habebant, praeter nomen. Idipsum apparet ex illo cantore qui belli Troiani temporibus Clytemnaestram seruauit, dum in expeditione cum reliquis Graeciae proceribus esset Agamemnon, quo interfecto tandem illâ potitus est AEgystus. Non adferam vobis somnia aegrorum ILLVSTRISSIMI ORDINES, neque id quod volo poëtarum testimonijs probabo, vt plerique hodie solent, qui tum demum rem factam habere arbitrantur, cum Peripatheticam, aut Stoicam philosophiam, aut quamlibet eius partem testimoniis ex eâdem fectâ petitis comprobarunt. Quod res est dica*m*: vox ᾄδειν siue cantandi ita â veteribus sumpta fuit teste Geographo, vt φράζειν siue dicere significaret. Ea quae à nobis & ab illo dicuntur, ita se habere probant doctissimae Graecorum magistrorum Glossae, & certius multo quod dicturi sumus. Septem enim illi Graeciae sapientes nondum tamen philosophi dicti, metra quaedam de moribus ediderunt quae ᾄσματα seu ᾀδόμενα (si modo ide*m* vtrunque) dixerunt. in quibus & vestigia vocis ἀοιδὸς animaduertimus, & quid illis propositum fuerit manifestè videmus. Talia primus eorum Thales, talia Chilo, talia Pittacus, talia & Bias, & Cleobulus & caeteri. Nam magnum illum legislatorem Atheniensium, cuius statuta quoque Pop. Romanus missis in Graeciam Sp. Posthumio Albo. T Man-

lio, P Sulpicio Camerino legatis diligentissime descripsit, ad Elegias & omne fere poëmatum genus se demisisse praetereo, reliquos etiam sapientes ad σιλλοὺς & alia praetermitto. Nec enim id ego nunc ago, quod à vulgo poetatum toties tractatum fuit, vt Poëticen extollam, quam illi non intelligunt, cuiusque vsum antiquissimum ignorant. Aequissimum peto ILLVSTRISSIMI ORDINES. vt quòtendit mea perueniat oratio, Philosophiam vt laudari patiantur ab illis postulo. Atqui eam illi in ore habent, nec difficulter id impetrabimus. Deinde, vt nobis respondeant, quantùm à philosophiâ facultas poetica abfuerit, cum axioma à philosophis pronunciatum fuit, quod beneficio Geographi adhuc habemus, quo negatur poëtam bonum esse posse, qui non prius vir bonus sit. Nam inter illam Zenonis definitionem aliquid interesse fortasse dicerent, cum humanarum diuinarum rerum imitatio Poëtice esse dicitur. At me Hercule quantum mihi laborandum hoc tempore esset, si Oratoriâ facultate antiquiorem eam esse contenderem, nisi me eâ molestiâ, & inuidiâ cui vix ferendae essem à Strabone subleuatum scirem, qui tam certis testimonijs Oratoriam facultatem à Poëticâ oriundam probat, quam à Tragicâ grauitate familiarem characterem Comicum, Nec hoc agimus, vt in Arisitidis reprehensionem incurramus qui, salsè ridet eos, qui solutam orationem vinctâ

posteriorem putant. Verùm enimuerò fatis coacta est illa oratoris calumnia, & quae nobis etiam ampliùs hac de re cogitandi ansam praebuit. Nam quae de Cadmo, Pherecyde, Hecataeo dicu*n*tur, eruditos saltem fugere non debebant. Habet ergò ad oratoriam illa se, vt ad filiam mater: ad philosophiam autem olim, sicut illa se ad quamlibet sui partem. Quòd autem hodiè pro pellice sedeat, quòd ab hominibus trivialibus, indoctis, barbaris, prostituatur, non magis genuinae huic quicquam detrahit, quam castissimae illi Abradatae apud Xenopho*n*tem vxori, Phryne, aut Lais aliqua, aut si quid his impudentius. Nomen ei à Platone illud quod ad nostram vsque permansit aetatem inditum grauissimi scriptores testantur. Idem tamen, quod in ore est omnibus quicunque diuinam hanc facultatem oppugnare solent, è Republicâ suâ exegit eos. Nos verò ad illa ILLVSTRISSIMI ORDINES, videte, quam breuiter respondeamus. Primò enim, si illa*m* Remp. Platonis recipiamus, exigendus erit ante omnes ipse fundator, cuius ipsa soluta oratio, vt & Herodoti, nusqua*m* à poësi abhorret: nisi quis eam modo poësin esse existimet, quae numeris pedibusque vincta est: quod si concedamus, ne ἄμετρα quide*m* poësis erunt, imo ne quaedam fortasse ἔμμετρα, ac ne ipsi Dithyra*m*bi: no*n* quod à vulgari verborum in metris, sed metrorum inter se iuncturâ abhorreant, ac ne ᾄσματα forsan philosophorium. Deinde, vt Platonis ciues simus, recipienda erit mu-

lierum communitas, & reliqua; vt certum sit nihil ad eversionem Reip. plus conferre, quam eius constitutionem. Sed ego me hercule tam facile eius Politiam in bene constitutâ vrbe esse posse concedam; quam Idaeas in naturâ. Quod si propterea poëtas ille in vrbe sua non fert, quod adulteria Deorum & praelia introducat Homerus; metuo ne in eam arte*m* impingat, cuius scientiam profitebatur, ratiocinandi nimirum. Nam illud aut peccatum non est: aut si est, vnius tantum. Scimus enim non Grammaticos modò, sed & Platonis discipulos, quae in vniuersum de Dijs ab Homero dicuntur, ad naturales rationes referre solere. Quod si, vt diximus, Homerus peccauit; poëtae vitium est, non poetices, & quidem illius tantum. Nam omnes ob eam causam poëtas exigere tale est, ac si quis omnes Philosophos exigat quod Plato ibi male argumentetur. Omitto interim, Platonem eum quem è Rep. sua exigit vbique diuinum dicere. Clemens certè ille est, qui Homerum ex vrbe sua in caelum exulatum mittit, & in Deorum numero citius esse patitur, quam suorum. Iam aute*m* ad vos venio ILLVSTRISSIMI MAGNIFICIQUE VIRI, ORDINES POTENTISSIMI, quibus in vindicta*m* Nobilissimo AVRIACI sanguini debita*m*, vix vniuersum sufficit Hispanorum nomen. Ducem vobis vestrum offero. Quid admiramini? vt benevolentiam vestram favoremque conciliem, titulum inspicite. AVRIACVM fero. Percussit sat scio, foditque pectus

vestrum nominis illius recordatio, mentemque subijt illa, quae vobis communis cum illo fuit, in tutandis aris, focis, liberisque vestris pietatis imago. Videte quantum spej conceperim: quod vix totis operibus quidam consequuntur, solâ operis inscriptione me consecutum video. AVRIACVM vobis fero; atque vtinam ne talem. vtinam & viueret ille; & ego no*n* haec scriberem! Cum vero ille si vixisset diutius nihil praeter nominis immortalitatem propositum habuisset, quae Musarum nostrarum ope nonnihil eget; agedum, id mortuo, si fieri possit, tribuamus, quod vnum ille, si vixisset, expeteret. Ambulet ergò in cothurno deinceps, quoniam in huius terrae ambitu, quam vel vniversam animo suo angustam semper iudicauit, ambulare diutius non potest. Ambulet in animis, in pectore, in manibus iuuentutis vestrae & tenellis animis patriae amorem imprimat; adultis propugnationem eius defensionemque. Videat posteritas vestra ILLVSTRISSIMI Viri, discant liberi, quanto vobis diuinum illud LIBERTATIS nomen steterit, quod non nisi virtute & fortitudine paratur: frugalitate & industria retinetur. Excelsi illi animi, mortisque contemptrix pro patriâ virtus, latiùs se fundat, quam vbi nata est. Nec tam angustis limitibus diuini hi motus, ausaque regia, cohibeantur, vt in eâdem terrâ & extitisse, & sepulta esse videantur. Agedum maris imperator BATAVE, iam te appello, cui pro patriâ mori posse dulcius fuit semper,

quàm in eâ. Tu populi Rom. triumphorum, victoriarum, ouationum; omnium denique particeps fuisti, praeterquam ruinae. Tu à terrae dominis, Romuli nepotibus bellum gerere posse didicisti, velle omnes docuisti. Tu vitam, tu hunc spiritum, tu hanc lucem pro libertate semper venalem habuisti. Tu artem ab alijs, ausus à te mutuatus es: Ita vt mortem medius inferre illi; tu promptius subire potueris. Illis imperium terrae tempus ademit: tibi maris reddidit. Tu foris Oceano, domi focijs, vbique tibi imperas. Tu, quod olim frustrà Xerxes tentarat, Neptuno compedes iniecisti: cumque alij sive reges, sive principes vltrà populos imperium suum extendere non soleant: tu etiam in ventos obtines, inuentumque tibi aliquid praeter hominem, quod parêre sciat. Accipe principem tuum BATAVE, sed morientem, qui cu*m* omnia saluti tuae impendisset, se quoque impendit. Accipite viri, & recordamini, in terrâ vestrâ nihil vnquam vindicasse Iberum sibi, praeter fraudem, cuius vnius artis pudenda est scientia. Agedu*m* BATAVE, quod solum pro tuis in me beneficijs possum, Musas meas consecraui tibi, quoniam chartae solae, cum ferrum, aes, & chalybs non possint, diuturnitatem annorum, & saeculi violentiam perrumpunt. Ego cum bonis exutus omnibus, Iaribus, & praedijs meis, nihil Hispanorum tyrannidi, communis relligionis ergò, praeter infelicem hanc animam subduxissem, & si quam spem in pa-

rentibus, miserrimis & ipsis repositam haberem, tu me excepisti, fouisti, amplexus es: ac, quod mirum maximè, vestrum beneficium maius mihi fecit Hispanorum crudelitas. Inter reliqua & illud accedit, quod in Academiâ vestrâ tot iam annos versatus sim, in quâ & illud vobis, vt primariae causae, asscribendum puto, quod in hâc terrâ vestrâ tot summorum virorum familiaritate vsus sim, ac praesertim trium Heroum, in quorum tempora me incidisse gloriari soleo: Iosephi Scaligeri (at quantum hoc nomen Dij immortales?) omnis scientiae, omnium literarum, omnium linguarum, totius non Europae modò, Viri, vt generis splendore principis. quem vos, cum vnum modò eodem tempore in hoc vniuerso Phoenicem posse esse sciatis; in Bataviâ vestrâ vivere voluistis: vt imperium simul Maris apud vos sit, & Literaru*m*. Pauli praeterea Choarti, Christianissimi Gallorum regis, apud, vos Oratoris, cuius nomen praeterquam quod vobis propemodum sacrum sit, liceat & illud mirari mihi, virum tam Illustrem non de omni eruditione modò iudicare posse, sed & primas in eâ tenere: & Iani Dousae, Senatoris vestri, Curatoris nostri, viri incomparabilis: qui cum de totâ literaturâ iam olim; nuperrimè etiam de patriâ suâ optimè mereri cepit: & tanquam parum sit quod infelici hoc aeuo literas restituit, nupperimè etiam Bataviam suam restaurauit, qui me filij loco semper habuit. Itaque diutius

vel animi grati, vel debiti officij testimonium desyderare vos passus non sum: nec idoneum magis hoc tempore argumentum Patriae vestrae, Vobisque, reperire potui, quam fatalem illum Patriae parentis casum, quem penitus amisissetis, nisi in Filio viueret: Qui vobiscum, tot Illustria Hispanorum capita Dijs Manibus, Paternae necis vltor mactare cepit: quem vt Deus immortalis nunquam in Tragoediâ partes habere permittat, optabo; in reliquis verò parenti simillimum, vel virtute, ver animi magnitudine, sibi, vobis, nobisque conferuet. Ego verò intereà hoc qualecunque committo vobis.

Nobil. vestrae addictiff. Cliens

DANIEL HEYNSIVS

Ιωσηπ□ Σκαλαν□ □ουλίου το□ πάνυ Δανι□λ □ □ίνσιος ε□ πράττειν

Τὸν Ανάχαρσιν λέγεται, ὦ Διογενὲς, τὸ πρῶτον ἐκ Σκυθίας Αθήναζε παιδείας ἐπιθυμία τῆς Ἑλληνικιῆς ἀφικνούμενον, τῷ Τοξάρει,Σκύθῃ καὶ αὐτῷ ὄντο καὶ ὁμοεθνεῖ Αθήνῃσιν ἐς λόγους ἐλθείν. Τόνδε, παιδείας τε ἅμα, καὶ θύσεως εὖ ἔχοντα, τἄλλα δὲ καὶ τῶν Αθηναίων λόγων οὐ παρέργως ἁπτομενον, οὐδὲ δυσπρόσοδον ὄντα, ὥς εἰκὸς ἄνδρα τῶν πολλῶν καὶ δημοτικῶν, τῶντε· ἐκεῖ ὀκταπόδων, (τοῦτο γὰρ τοῖς απόροις ἐν Σκύθαις τὄυνομα κεῖσθαι λόγος ἔχει) τὸν ἔρωτα τοῦτον καὶ ζῆλον φίλου ἀνδρὸς, ὅν οὐ πρὸ πολλοῦ ἦρα καὶ αὐτὸς τὸν Ἑλλάδα ἰδεῖν, οὐδαμῶς ἐν παρέργῳ θέμενον, πολλὰ καλὰ κ' ἀγαθὰ ὑποθέασθαι· ὀυ μὴν ἀναδειξάμενον τἄλλα, οἵς ἐκεῖνον μάλιστα φιλοφρονούμενος [...]υνίει, εἰπόντα· δὲ μόνον· εἰ ἕνα μὲν, ὦ Φιλότης, τῶν τῇδε ἀνδρῶν φίλον κτήσαιο, εὐ ἴστθι πᾶσαν τὴν Ἑλλάδα οὐ μόνον ἔχων ἐν αὐτῳ, ἀλλὰ καὶ πάντα, τὰ παρ' Ἕλλησι θέας ἄξια ἰδῶν καὶ ἐμπορευόμενος, καὶ ταῦτα μὴν περὶ τοῦ Σόλωνος ὁ Σκύθης, ὀρθῶς γε λέγων ἐκεῖος. Εγὼ δὲ, ὅτε τὸ πρῶτον ἐπεδήμησα τῇ πόλει ταύτῃ, σοι κατὰ δαίμονα ἐντυχὼν, μονονουχὶ θεὸς ἐν ἀκαρεῖ χρόνου γεγενημένος ἔδοξα, πλὴν ἀλλὰ καὶ πάντων ὀλιγωρήσας, καὶ τῶν πάνυ τοῖς πολλοῖς περιβλέπτων καταγελάσας ἀτεχνῶς, τὸ κεφάλαιον εἰδέναι τῶν τῇδε ἀγαθῶν. Τὸ δὲ νῦν εἶναι, ἐπείγε τὸν κόθορνον, μείζω ἤ ὥστε νεανίᾳ καὶ ὅιῳ ἐμοὶ πρέπειν, περικεῖσθαι κινδυνεύω, ἐν μυριάνδρῳ ἐμαυτὸν θεάτρῳ καθίξας δόξω, εἰ σύγε τὴν δίαιταν τάυτην ἐπιτετραμμένος, καὶ τὴν τῶν ἄλθων νόμον ἐγχειρισθεὶς, κατὰ τά σοι δοκοῦντα τὴν ψῆφον φέροις, οἷς ἄν μόνος συ διαγινώσκοις ἀγαπήσων. οὐ μὴν οὐδ' ἕωλόν τινα ἔφεσιν ἀγωνιοῦμαι, οὐδὲ δικαιολογήσομαι, κἂν κἀμαρτῶν ἁλῶ, οὐδὲ, τὸ τῶν ὑπευθύνων ἐκεῖνο, λόγον τῶν τετολμημένων ὑφέξομαι· ὥσπερ οὐ πάνυ μοι μέλον, ει καὶ εὐτελῆ τινα, καὶ σεμνότετητος τραγικῆς ἄξιον, ἢ μεγαλόθρον ἔνι οὐδεν, ἢ μόνον ἥτε ἡλικία ἡμῶν, καὶ τὸ ἡδέως περὶ τὰ τοιαῦτα ἡμᾶς διακεῖσθαι, σοι διὰ σπουδῆς ᾖ· οὐ γὰρ τὸν Ευριπίδην ὅλον, ἢ καὶ τὸν τραγῳδὸν, νὴ τὸν Διόνυσον, τὸν σὸν καταπεπώκαμεν, οὐδὲ τὰ τοῦ Ὁμήρου, κατὰ τὸν Αισχύλον, τεμάχη, ἀπὸ στόματος εἴποιμεν, ὥστε ὑποδραματουργεῖν σοι. μάλιστα δὲ τοῦ θάρσους ἡμῖν, τότε τῆς ἀφορμῆς τὸ μέγα, καὶ τὸ τῆς ὑποθέσεως τὸ λαμπρὸν συλλαμβάνεται, καίπερ πολλάκις τῶν ἔργων τοὺς λόγους οἱουστδήποτε ὑπερφθεγγομένων, οὐ γὰρ κατὰ Μηδείας, ἢ Ἑκάβας, ἢ καὶ Ἄιαντας νὴ Δία μαστιγοφόρους τὸ πρᾶγμα, ἢ τὰς ἄλλας τερατείας,

καὶ μαγγανείας ποιητικὰς, πάνυ ἀλλόκατα μυθίδια ὄντα, παιδῶν ψυχὰς, ἔτι περὶ τὸ βρῦν καὶ τὸ μαμμᾷν σπουδα ζόντων, καὶ τὴν Μορμὼ καὶ τὴν Λαμίαν δεδιότων, ἐκπλήπτειν δυνάμενα· περὶ δὲ τῶν ἡμεδαπῶν, τῶντε Αυρανσίου τοῦ μεγάλου πάλαι πεπραγμένων, καὶ μάλιστα περὶ τῆς τοῦ βιοῦ αὐτοῦ καταστροφῆς πᾶς ὁ λόγος, ὅν καὶ ἐπιγράφεται. Σὺ μὲν οὖν ὀβέλισον τὰ πολλὰ, καὶ καταδίκασον, ὥς οὐκ ἔστιν ὅ, τι ἂν ἄλλο ποιήσας μᾶλλον χαρίσαιό μοι: οὐ γοῦν δεόιμην σοῦγε τὸ κωμικὸν τοῦτο,

Τῶν ποιωτῶν εἶναι με λέγειν ἑκατὸν σταδίοισιν ἄριστον.

Οὐκ, εἴγε καὶ χύτραις λημῶν τυγχάνοιμι. ὀλεθρίων γὰρ ταῦτα, μόνοιτε ἐλλόγιμοι εἶναι φασκόντων, καὶ σοφόν τι χοῆμα, καὶ ἄκρον ἐν παιδείᾳ γενέσθαι πεπεισμένων. τὰ δ' ἐμὰ μετρίως ἔχει πάντα, καὶ νέος ἔκ κομιδῆ [...] Μούσιας ἅμα, καὶ τῇ τούτων ἀδελφῇ τῇ βελτίστη πενίᾳ προς φιλοσοφῶ. Σὺ μὲν οὖν οὐκ ἂν φθανοις ταῦτα ποιῶν· ἐγὼ δὲ τὴν τραγῳδίαν τὴν ἐμὴν ἐκδιδόναι μοι δοκῶ, οὐδεν

δέον ταύτην, ὥσπερ τὴν Ακρισίου, παρθεν εύεσθαι, καθάπερ ἴερειάν τινα τῇ θεσμοφόρῳ ἀνατρεφομένην, ἀλλὰ κοινόν, φασι, κτῆμα γενέασθαι. τί γὰρ ἂν καὶ πὰθοι τις, ὁπόταν φίλοι ἄνδρες καὶ εὐδόκιμοι βιάζοιντο; ἦν γοῦν ἕν δρᾶμα τοῦτο γραψαίμην μόνον, πρὶν τὴν ὑπήνην ἀνέρπειν, περὶ τὸ στόμα τοὺς κροτάφους τε (οὕτω γὰρ [...] ποιητῶν τινος μέμνημαι λέγοντος) τοῦτο προοδοῦ ἐς τὴν παιδείαν ἔσομαι πεπονηκώς· ὑπέρευγε ποιῶν τά τε ἄλλα, καὶ ὅτι ἐμβαδίων δεόμενος περιπατῶ, μικρὸς ὢν καὶ πηχυαῖος, καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα· ὁ δὲ κάκιστα μιασμάτων ἀπολούμενος φθόνος ἐμιοῦ ἕνεκα, οἰμωζέτω, μηδ' ὥραισιν ἵκοιτο, τὸ προσωπεῖον, ὁ μεταξὺ τραγῳδῶν περιβέβλημαι, μορμολυττόμενος, καὶ γεννάιως μὰ[...] Δί' ὑπ' ἐμοῦ ἐκτραγωδούμενος. Ἔρρωσο Διογενές μοι Ιουλιάδη μέγα φέγγος Αχαιῶν· καὶ Βακχεῖον τοῦτον ἄνακτα, σήμερον Διονυσίοις τραγῳδοῖς ἀποκηρυττόμενον, ἀποδέχου.

In Hispanum & Batavum.

ΔΗμοβόρος κόσμου ποτ' ἐέλδετο παντὸς Ιβηρος
Ισχανόων Κελτων, ἰσχανόων Λιγυρων.
Οἷον ἐπάντα φόβησεν· ἐδείδιε πᾶσα δέ μιν χθῶν
Ουρανιῄς ὅσση κεῖται ἐν ἀγκαλίσιν.
Φλανδριακοὺς δὲ ἐμὸν ἔθνος ἀεικέα μήσατο ἔργα,
Οὐδὲ πόνου λῆξις πὰρ μίη, οὐδὲ ἀλέη·
Παισὶ κακὸν φρονέεσκε καὶ ἀνδράσι ῥέξε δὲ λίκην
Νήπια καὶ ἀπαλὰς αἴσυλα παρθενικάς.

Αἵματι δὲ ἡμετέρῳ ἰδίη ἐρύθρῃνεν ἄρουρα,
Πάντα δὲ μόρμυρεν βένθεα, καὶ ποταμοί.
Τοὺς δὲ μέτα κρατεροῖο καθιππεύεσκε Βαταύους,
Νηυσὶν ἁλὸς ταμίην ἥσιν ἐποιχόμενος.
Ωκεανὸς δ' ἑὰ τέκνα σαώσατο, μήδετο δ' ἐυθὺς
Κύματα δειλαίῳ ἀμφιχέαι Βατάβῳ.
Αὐτὰρ ὀβῆ πατέειν διερῷ ποδὶνωτα θαλάσσης,
Ἐκ δ' ἔριν, ἐκ δ' αἰνοὺς φευγέμεν ἐχθοδοπούς.
Ζεύγνυτο δ' ἅρμα θοὸν, ἀνεμοτρεφὲς, οἷο χαλινοὶ
Πείσματα, τοί δ΄ ἵπποι λαίφεα, καὶ ὀθόναι.
Τῷ πίσυνος διὰ πόντον ἐλαυνέμεν ὦρτο καὶ ὕδωρ,
Ωρτο δὲ καὶ ταχέων πρόσθε θέειν ἀνέμων.
Μὰψ δ' ἀνέμων ταμίῃσιν Ιβηρ ἀνεμώλιος ἔτλη
Μαρνάμενος δεινῷ ἀνπάαν πολέμῳ.
Πολλὰ δὲ τοὺς ἀπέλεθρος Αρης ξυνέηκε μάχεσθαι
Ὕδατος ἀρχαίης γῆς τ' ἐπὶ κοιρανίης.
Κόσμου δ' ἀντιπάλαιο μόνος περίγεντο Βαταυος.
Ανδρομέης ἤτοι ἐξεφάνη γενεῆς
(Φῆς ὕπερ ἐν Πόντῳ, Πόντου δ' ὕπερερ ὄρμενος ἐν γῇ)
Αντίβιος κεινος ἀμφίβιος Βαταβος.

In Avriacvm Danielis Heinsii.

Melpomenae sacrum facit Heinsius ore fauete
Dum quatit Aschyleo pulpita picta pede.
Cede Sophoclaei carmen regale cothurni,
Cedite Cecropijs plausa theatra choris.
Principis ille vicem subitam, strictumque dolosè
Non expectato fulmen ab hoste canit,
Et fixum in patriâ, dum figitur in duce, vulnus.
Hanc tibi nulla dies tollet Ibere notam.
Grandiloquisque Heynsi numeris, quae dedecus una est
Mors tibi, Nassovio vita perennis erit.

Iosephus Scaliger Iulij C.F.

In eandem.

GRAECORUM grauitas ab acumine victa Latino est,
SCALIGERO in Tragicis Iudice Hypothesibus.
Arbitrio cuius vni data palma Poëtae
Praetribus Argolicis Vatibus Ausonio.
Laus SENECAE haec, cui maiestas, cui spiritus ac vis
Cura nitor, cultus, omnia plena DEO.
At vetera haec: nostrâ sed tempestate Poëtae
Personam Tragici qui ferat, ecquis erit?
MVRETVSNE? sed hic quid ad Orgia BVCHANANI?
CAESARIS is, IEPHTAE conditor iste suae?
AESCHYLEO argumenta vides indicta Cothurno
Nec CLITÛS NATO cognita, nec SOPHOCLI.
Et dubitas, vtrum antistent mendacia veris?
Illane, an haec pluris sint faciunda tibi?
Quae tantum ijs, quantùm SALLVSTI pagina ficto
LVCI ASINA, aut MARSI praestat AMAZONIDI/
At quantum Historijs cedunt Acroâmata, tantum
HEINSIADI, cui tota HELLAS, cui poplite flexo.
Submittit fasces PINDARVS ipse suos.
Materiem quaeris? GVILLELMI hîc funera (Lector)
PRINCIPIS Hesperiâ fraude peracta leges.
Dúmque leges, aequare rei mirabere Ephebum
Pondera Romuleis sic potuisse modis.
Forsitan & dicas: Proavito qui Lare pulsus
Talia Leidensi scripsit in Exsilio,
Quid faciet, Patriae compos si quando futurus?
Lux (precor) ô fatis sit prior illa meis.
Et licet haec addas: Cui tantum indulsit Olympus,

Materiem hanc meritò legerat ipse sibi:
Nec verbis nec rebus vbi sua pondera desint.
Ne longum faciam, singula conueniunt.
VATE suo vt PRINCEPS, dignus sic PRINCIPE VATES
AVRIACO HEINSIADES, HEINSIADE AVRIACVS.

IANVS DOVSA NORDOVIX Hagae comitis scripsi.

Ε□ς τ□ν Δαν. το□ □ινσίου □υραϊκάρχην.

Ἔρρετ' Ἰβηρομανεῖς, σφέτερον κακὸν ἀμφαγαπῶντες,
Δίζυγα δουλοσύνην, σώματος ἠδὲ νόου.
Αμμιν ἀλεξίκακον θεὸς ὤπασεν Ἡρακλῆα,
Ἡνίοχον γλυκερῆς δέξιον ἐυπραγίας,
Αυραϊκῆς ἀρχὸν, μέγαν ἰθυντῆρα Βαταύων,
Ἰσπανῶν θάμβος, καὶ δέος Αυσονίων.
Κεῖνον, ἐλευθερίης ταμίην, καὶ Βελγίδος ἄλκαρ,
Δισσὸν δουλοσύνης ἄχθος ἀπωσάμενον:
Μούσαις καὶ χάρισιν πεφιλημένον Ἔινσιος ἔρνος
Ταῖς δ' ἱεραῖς γέρασεν μνημοσύνης σελίσιν,
Ἄφθιτον ἀμφιέσας μεγαλήτορος Αὐραϊκάρχου,
Ἄφθιτον ἀμφιέσας μεγαλήτορος Αὐραϊκάρχου,
Ζωσι γὰρ ἐσσομένοισι τ' ἀγάκλυτος ἔσσεται αἰὲν
Κείνου εὐεργεσίῃ, Ἔινσίου εὐεπίῃ.

BONAVENTURA VULCANIUS.

Idem Bon. Vvlc.

ΤΩν παλαιῶν Σοφόκλης μέγ' ἐπείροχός ἐστι τραγωδιῳν,
Τῶν νυνὶ δ' ἔχαρχηος Ἑινσιάδης πέλεται.
Κείνου πατρὶς ἔην τῆς Ἑλλάδος ἑλλὰς Αθῆναι,
Τούτου Φλανδριακῶν Γάνδα πόλις πόλεων.
Ἓν τραγικῆς ἀμφοῖν σοφίης κλέος· ἀλλὰ Σοφόκλης
Δρέψατο τοῦτο γέρων, Ἑινσιάδης δὲ νέος.

Πρ□ς μέγαν τ□ν ποιητ□ν τραγ□δι□ν, Δανιηλ □ινσιον, □πίγραμμα.

Ἑἰνσι' Ἀραυσιόνων ὅτ' ἀείδεος Ἀρχὸν ἀγαυῶν,
Σφόδρα προσήκουσάν σοι τιν' ἔχεις πρόφασιν·
Ἠὲ διεξελθὼν τὰ ἐκείνου φαίδιμα ἔργα,
Ἠὲ σφαγὴν κείνου πρὸς μέτρ' ὀδυρόμενος
Πάντα λέγεις μετρίως γε (μέτρον δ' ἐνὶ πᾶσιν ἄριστον)
Θαμβεῖ, ἀχεῖ, θρηνεῖ πᾶς ὅγε ταῦτ' ἀναγνούς.
Πράγματα δεινά γε μὲν τοῖς σοῖς ὑποκείαται ὕμνοις,
Ἀλλὰ τεαὶ λέξεις εἰσ' ἔτι δεινότεραι·
Εἴ ποτε Πυθαγόρα εὖ πάντα τὰ δόγματ' ἔχουσιν,
Ἡ ψυχὴ Σενέκης εἰς βίον αὖθις ἔπτή.

G. CODDAEUS.

Iambi libertati savciae Heynsianae,

In quibus, praeter alia, quae in hoc, quaeque in Senecae Dramatis persone illustres omnes conferuntur.

QVIS ille tanto PVLPITVM motu quatit,
Et insolenti tundit ORCHESTRAM pede?
Quanquam furentem motibus fallax tegit
PERSONA vultum, Faexque detonantia
Furatur ora, non lates HEYNSI tamen:
Te certvs index prodis: augustum jubar
Dispellit atrae nubilum calignis,
Centumque noctes luce perrumpit suâ.
At nos parentis vana Terrae pondera
Frustrà tenebris in dies victricibus
Luctamur: omnes ludit incassum labos:
Vt ille paruus ales abreptum fugâ,
Et navigantem vasta Inanis aequora
Sequi parentem sperat, & pennas quatit,
Aurasque plausu captat affectans iter,
Strepitque; tandem pronus in nidum cadit.
Tu Daedaleïs ocior volatibus
POETA Caeli scindis alatus vias,
Plebémque, & ipsos plebis obtutus procul
Post te relinquis. Iam SOPHOCLEN praeteris,
Iamque EVRIPIDEN fultus alâ remige:
Séque author olim triplicis PROMETHEI
Victúm fatetur, quique CASSANDRAM dedit
Caeco furentem versuum volumine.
Nec hos, nec omnes caeteros IONICI
Fastus THEATRI, multa quos nobis dies
Invîdit, aevique impotens iniuria,
Longè tueri terga fectantes tua

Contentus vltrà tendis, & Caelo natas
Sublimiori, déque summo vertice
Priscum LATINAE despicis SCENAE decus,
CHORAGIVMQVE praeter ANNAEI volas.
O CYCNE FLANDER, me simul tecum rape
Per candicantis caerulas aethrae vias.
Ignava quanquam torpidum moles premit,
Et furgere vltrò pondere obsessum vetat,
Tuâ levatus quolibet dextrâ sequar,
Supráque nubes ibo, quas crassus vapor
In nos adurget. Diligam SPECTACVLO
Propinquiores siderum metae FOROS,
Vbi serena semper, & purus dies.
Hîc prisca cernam provocantem saecula
Prodire nostri temporis TRAGOEDIAM:
Non hanc, IEPHTAE quae Triumphales manus
Caede immerentis inquinavit filiae,
REGISVE mensis ora BAPTISTAE dedit
Tacere verum nescia, vt falsum loqui:
Sed HEYNSIANAM, nata quae ferò licet
Retrò tot annos laude praevortit novâ.
Iudex sedebit DOVSA, judex SCALIGER
Haeres paterno destinatus munerì.
HEROA nostris hunc, & hunc felix Deus
Seruavit annis, justa ne saeclo rudi
Nostris deessent VATIBVS praeconia.
Vox vna binis: VICTA GANDAE CORDVBA:
Applaudit omnis MAXIMI CIRCI CHORVS.
Formae micantem celsioris lumine
Miratur ire magnus ALCIDES DEVM,
AVRANSIOQUE cedit, (at nulli priùs)
Dolétque rursum REGIS HISPANI scelus.
Incedit alto parte ab Eoâ Poli
PRINCEPS COTHVRNO: nam tremit VESPER gradum,
Et sentit hostem. Nunquid ATRIDE pudet?
Bis quinque TROIA messibus constat tibi:
Huic vnus annus plus decem TROIIS dedit:
Hoc par, scelestâ fraude quòd victor cadis.
Vidit MYCENA per scelus caesum DVCEM,

Vidêre DELPHI. PATRIA ô quanto mades
Cruore! non hoc eluat RHENVS nefas,
Non MOSA vasto pronus incumbens mari,
Non qui propinquus menstruo motu tumens
NEPTVNVS agris parcit HOLLANDIS Pater,
Seséque arenis arcet, atque hostem salo.
  Cerno LOISAE SYRMA. Talis HECTORIS
Coniunx, parensque, talis ALCMENE fuit
AMPHITRYONIS uxor, & prior NVRVS.
OENEIS autem casta sanctae Feminae
Veretur ora tollere, & vultum simul
Formidat omnis, quae sui sexus cohors
Transgressa Leges: Noxium AEETAE genus,
LEDAEQVE proles, & noverca VIRBII,
Materque ORESTIS, & viri Mater sui,
Et ipsa IVNO. Stirpis antiquae decus
Materna parvum ducit HENRICVM manus.
Alludit illi magnus Argivûm metus
Futurus HECTOR, Fata si vitam darent:
Alludit HYLLVS, & Coronati patris
PHOCAEA proles, Iam puer PHILISTHENES,
Iam meta TROIAE PVRRHVS exspectat parem,
POEANTIVSQVE. Dira COCYTI vada,
Et aestuantes igne permisto lacus
HISPANA ERINNYS linquit: humanus sitim
Cuî sedat vnus sanguis: hoc illi merum est,
Haec pôcla MONSTRO. Cerno pro taedis rogos,
Cerno secures. Ipsa aspectum foror
Horret MEGAERA; defluit flagrum manu,
Fugitque tortis anguis implexus comis.
  At ille magni PARRICIDA PRINCIPIS
Pone hîc scelestum perfidus volvit gradum.
Fuit THYESTES impiâ factus dape
Natis sepulcrum. Segregem THESEVS novâ
Castum per agros filium sparsit nece:
Patrem cecîdit, mistus est Matri OEDIPVS;
Sed inscientes: primus hic fibi placet,
Gaudétque, quanto nullus erravit, malo.
Quicunque, Famae punctus antiquae notâ

Crudelis audis, patruus, Frater, parens,
ATREV, nepotes Patris heu dirum genus,
AEGISTHE, quíque semper arentes aquas,
Sempérque captas arboris foetae fugas,
Gaudete: vestra maius absolvit scelus.
Inuentus hic est, cujus vnus PATRIAM
Trajecit ictus. Quis, Dij, tantum nefas
Ausus jubere! Non LYCVS: Neuter CREON:
Non hoc VLYSSES saeuus in parvos quoque,
Et in puellas: ipse nec fluxâ fide
Amans IASON: AVREI sed VELLERIS
Possessor alter. nec tua hoc, CALCHA, licet
Cruenta semper praecinunt Oracula,
Senéxque aruspex, caecus aut MANTO monet:
Sed qui superbus RVPE TARPEIA sedet,
Et è QVIRITVM COLLIBUS SEPTEM tonat.
Vidésne? pulcram rasa LIBERTAS comam,
Et PILEATA, turpe proculcat jugum.
Sed pectus, eheu, SAVCIVM vulnus gerit
Quod antè PRINCPS. PATRIAE raptum PATREM
Seséque luget. Ora commendat dolor,
Decétque luctus. EVRYTVM sic Filia
Cum lacrimaret, & Parentales Rogos,
Sibique lapsum patrij Regni decus;
Sic cum doleret vera se quondam nimis
Cantâsse PHAEBAS, staret & jam Troïcas
Supra ruinas, & cadaver Regium;
Tamen placebant. Talis ELECTRE fuit
Caeso parente. Nata talis OEDIPI
Caeco parente. Siquis est sensus super,
Curis nec VMBRAS exuit Mortalibus
Donata DIVIS MANIBUS Felicitas,
Restátque, quòd non atra LETHE sorbeat,
SALVE BATAVIS Ductor AVRANSI tuis
VLTORE NATO, VATE FELIX HEINSIO.

H. Grotius. I. C.

In eandem.

Effoetâ vegetum sibi cor superasse senectâ
Saltato Sophocles arguit Oedipode.
At vegetae sibi cor canum anticipare juuentae
Saltato docuit Heinsius Auraico.
Heroïs tragico dùm magni fata cothurno
Aptat, & Orchestrae refricat attonitae.
Fortia facta virûm aut aut crudelia dicere fata
Ausus maturi, sed tamen est juuenis.
Ast actum rebus dare, res aequare cothurno
Ausus maturi, at solius ille senis.
Perge annos Heinsi ingenio, spem vincere coeptis,
Nisu te, nisus strenuitate moras.
Perge inquam ignave post scenia spernere vitae,
Faustae spectatus cùm fremitu caveae.

Iacobus Gruterus.

A monsievr De Heins *Sur sa Tragedie.*

Stances.

PArmy tant de soleils d'ont l'Immortelle flamme
Pour avoir trop de lustre offence mes deux yeux,
Ozeray-ie eslever les glaces de mon ame
En forçant la nature enter la terre aux Cieux!

De Heins il suffiroit que ta gloire suivie
De ces perfections vint arrester mes pas
Sans qu'vn si grand ozer pour finir mon envie,
Me sit voler si haut, pour retomber si bas.

Ce miracle du Ciel qui trop grand tirannise
L'orgueil des beaux esprits, forzez de l'adorer*
Non, ie ne le puis voir, que mon ame surprise
Au cours de mille effrois ne se laisse emporter.

Pourray-ie voir aussy l'honneur de la *Hollande**
Sans avoir de cent peurs mes esprits agitez
Et ce ieune flambeau d'ont la gloire est si grande, *
Et dontia l'Orient l'ance tant de clartez!

Mais le fort est iexté vne perte honorable
Au moins courronera vn superbe vouloir,
C'est vivre que mourir d'vne mort agreable,
Et puis vn bel envy vaut mieux qu'vn bas pouvoir.

Ie veux comme ie peux, *o Soleil, o bel Astre*
Qu'vne langue *Françoise* esclate ton honneur

* *Scaliger.*
* *Dousa.*
* *Grotius.*

Et bien si ton merite enfante mon desastre,
Pour vm si beau subiect i'aimeray mon malheur.

Qu'on ne me parle plus de ceste bande *Grecque*
D'vn *Sophocle*, *Euripide*, & tant de grands esprits,
Qu'on ne m'allegue plus le tragique *Senecque*
Et ceux-la dont le temps a mangé les escrits.

De Heins les va biffant, en son ame incognüe
Pour son stile empoulé, ne se suit que des yeux
Ces antiques cerveaux rampent dedans la Nüe
Au lieu que de son front il va toucher les Cieux.

Ses mouvemens choisis tiennent sous leur empire
Le plus determiné de nos plus beaux desirs.
En nostre ame emportee au flot de son bien dire
Fait lascher quand & luy, des larmes & des soupirs.

Lors que triste il despeint la *Liberté bleßée*
Par le perfide bras, qui meritoit cent Croix:
O Dieu combien nostre ame est doucement percée
Par le charme plaintif, de sa divine voix!

Il semble que ie voy vne *Femme* mi-morte
Qui iette de martire vne sueur de sang,
Vne vivante *Mort* que la douleur emporte
Et qui tient vn *Enfer* attaché à son flanc:

Quand rouge de courroux de la gent *Espagnolle*,
Il va les cruautez exprimant brusquement,
Vne rude *Furie* à nostre ame s'envole
Qui la transforme en ce, qu'elle soit iustement.

Il semble que ie voy vn supplice vnerage,
Vne fiere *Enyon* qui se paist de sanglots:
Vn perfide *Affronteur*, qui au lieu de courage,
Loge la trahison au milieu de ses os.

Heureuse mille fois ô *Belgique Province*,
De voir par vn *Achille* vn si grand tort vengé,
Et pour eterniser la valeur de ce *Prince*
Le voir d'vn autre *Homere* encore loüangé.

Comme l'vn en exploicts est vn *Foudre* de guerre,
Qui peut mesme avec *Mars* debatre le *Laurier*,
L'autre qui ne cognoit de pareil en la *Terre*
Va desia dans le *Ciel* paroistre le premier.

Belle ame que le Ciel d'vne douce influence,
Anima de grandeur, on void par cest escrit
Qu'vn si galand *Esprit* n'est rien que *l'Eloquence*
Et *l'Eloquence* rien, qu'vn si galand *Esprit*.

Mais d'autant que ie sçay qu'vne chose divine,
Se conçoit beaucoup mieux qu'elle ne se despeint,
De Heins pour l'admirer il faut que ie termine,
Le fil de mon discours, d'vn extaze non feint.

D. de Licques.

Amico lectori.

CONSTITVERAMVS, amice lector, Tragoediae nostrae ea, quae tam de Graeco, quam Latina charactere Tragico satis prolixè notaveramus praefigere: quae nunc secundae editioni reseruamus: in quâ, ex amicorum consilio, quaedam explicabimus, quorundam etiam, in quibus Hellenismi vestigia premimus, rationem reddemus. Nunc properamus. Tu vero his fave, ac reliqua, quae in Graecos autores, notanimus expecta. Hac certè aetate, quae lubrica est, ab his exordiri placuit. & vt alibi lusimus;

> Η μὰν ἄριστός ἐστ βουλευτὴς χρόνος,
> Ιέρων δικαστὴς, πολλὰ νουθετῶν ἀεὶ
> Ὅ στις τελείῳ δὴν ὑπεζύγη πόνῳ.

Praeterea est quod te velim: si quis malit distinctiones scenarum, quas hic praeter morem adhibitas videt, praetermittere, nobis haud inuitis id faciet. Hîc autem id factum est, quod sciamus: non omnia illa τμήματα inter Actus, scenae vicem obtinere posse. ἀλλά τι ηὶ ἐν τῇ τραγῳδίᾳ τῶν τῆς ἀρχαίας κομῳδίας παραβάσεων τάξιν ἔχειν aliquâ ex part. Graeci autem ne maiores quidem distinctiones notare amant. Liberum hoc ergo est Pag. 20. qui volet pro *tabum tabem* legat: nos non ita temerè Seruio credimus, nec putamus vetitum esse τῇ εὐθείᾳ vti, ἀιτιατικῇ, nihil enim certi afferunt γραμματικῶν παῖδες: nam vt ille δίπτωτον, sic autor Glossarij veteris μονόπτωτον esse vult, & modo *tabo* λύθρῳ exponit, & ἅιματι νεκροῦ, modo tabo (vbi tabum, legendum fortasse) λύθρος, ἅιμα νεκροῦ. At hae sunt ἐπιπολάζουσαι λόγων ἔρειδες. Pag. 21 primam in *Iberi* contra morem meum producere malui, quam à sensu recedere: quod cum tam Graecis quam Latinis poëtis in appellatiuis liceat, in proprijs mihi licere putaui: quod si quis aliud malit, substituat vel *illius*, vel *Hispani*, modo nobis nostrum permittat. Haec moneo, ne quis nobis inscijs id factum existimet. Sed Haec leuia sunt, καὶ οὐδενόσωρα. Sequitur grauius. Absoluto hoc opere admonitus sum ab amicis, quosdam mirari, cur in Tragoediâ meâ partes potius comiti Henrico, quam Serenissimo Principi nostro Mauricio dederim: ego primo non respondi, sed risi imperitiam hominum, donec audivi quosdam etiam graviores esse, quos haec cura coquat. quibus verbo vno & altero rationem reddam: In laudes Magni illius Principis effusum hoc ipso opere me fuisse videbit, quicunque praefationem meam Heroicam, quam huic operi praefixi inspicere dignabitur, vt deinceps facturus sum, *dum spiritus hos reget artus*. Atqui, dicent illi, cur ibi potius quam in cothurno. Audite, & credite. Existimavi ego in re tam recenti mentiendum non esse: atqui Serenissum Principem tum temporis absentem fuisse scimus: secundò Tragoedia ea tantu*m* (quod multos ignorare scio, atque hinc illae lachrymae) quae aliquot horis gesta sunt complectitur, nunquam vltra diem extenditur, quod multi doctissimi viri hoc tempore neglexerunt, etiam apud antiquos nonnulli, quos tutius reprehendere licet quam imitari. Cum tam breuis igitur hîc sit periodus, & (vt hac voce ita vtar) pericomma, quis locus est absenti? Quod si aliquis aliter arbitretur, ad doctiores provoco, quibuscum hac de re multu*m* egi, vt testabuntur cum alij multi, tu*m* Magnus Heros noster, Clarissimus Bertius qui actioni huius Tragoediae primae praefuit, καὶ ὁ θαυμάσιος

Grotius. Quod si illi tationibus vicerint, ostendam me non Tragoedias modo scribere posso, sed & διασκευὰς, vel verius ex Heinsio Simonides fiam. Non negabunt etiam πάθος in Tragoedia maius infantem mouere quam iuuenum aut adolescentem. Ne autem quis pertinaciae me accuset, introducemus, cum publicè haec Tragoedia nostra Lugduni Batavorum repraesentabitur, personam magni illius Vindicis nostri & loco vt putamus satis idoneo, magis tame*n* ex iussu eorum quam primo instituto nostro. Quod si placeat non verebimur etiam ea cum reliquis edere, vt appareat tanquam θεὸς ἀπὸ μηχανῆς. Atque ita in hac tempestate magnos illos διοσκούρους coniungemus.

Menda typographica ab operis commissa sic emenda Lector:

In epist. Graeca punctum ante, καὶ ταῦτα μὲν, Pag. 18 Vers 7.*compos*, ibide*m*. penult. *ipsa* p. 25. v. 22. pro PR. Lois. p. 38. v. 19. *seculum*. p. 46. v. 9. *luctu* p. 49. 4. 17. *turbidâque aspergine* p. 54. p. 52. v. 13. *hic*. v. I. *ignare*. ibid. v. 5. *vinculo*. p. 56 v. 14. *suffundus*. p. 62. v. 6 pro Av. scribe. AL.

p. 65. v. 16. pro Av. pone Nv. ibid. 20. v. *illud*. p. 70. v. 26. pro Lois. sic. p. 78. v. 27. *gemimus* p. 80. v. 10. *reddidit*. p. 81. v. 5 *puru*m p. 84. v. 10. *aditu*m. p. 85 *οὐμὰ Δί'* p. 86. dele punctu*m* post *ege*. Sic. pag. 58. *ξυλοκόποι*. & ξύλαθ'.

Monendus item de mendis commissis in iambis

Pag. 90 Vers. 2. *consessus*. v. 18. *inter*. p. 103. v. 19 *Coloniamque*. p. 104. θεός ἐιμι v. 31. *hyeme*. ibid. v.vlt. *inuideres*. p. 107. v. 12. *Graecum*. ibid. v. 16. ὅις. p. 108. v. 20. *Venus*. ibid. v. 26. *sine*. p. III. v. 24. *gemmata*. p. 112. v. 13. *iuuentae*. p. 119. *Aeschyleas*. p. I. v. 6. d a. in eleg. Dousae. p. 234. v. 12. *Principe*.

*Amice lector, haec notavimus, quaedam minuta scientes praetermisimus: quaedam etiam fortasse inscij, quae humanitati tuae committimus: quod vereor ne factum sit eò magis, quod Typographus noster ad haec homine mercenario vsus sit, & ὅλης τῆς τυπογραφικῆς πραγματείας ἀπείρως ἔχοντι, maxime vero Graecoru*m*, ac praesertim accentuum: vnde fortasse videbis alibi τὶς & τί, pro τὶς & τί. item ὥς & similes ineptias, quas tute facile emendabis. nec enim haec tanti sunt vt moneantur.* Sic pag. 45. v. 12. punctum tolle post *satis* & alibi.

P. Scriverii
In Avriacvm Danielis Heinsii *splendidißimi sibíque* jucundißimi *Poëtae* *Elegia.*

ITe procul Curae, durum genus, ite Labores,
Non mea nunc vestrâ compede crira sonent.
Ille ego jam tandem meus à Praetore recessi,
Et data sunt Musis otia laeta meis:
Mitior adfulsit nobis Deus. îlicèt omnis
Turba puellari non satis aequa choro.
Ilicèt. ad vetereis en me juvat ire Sororeis,
En juvat in lusus & mea sacra vehi.
Non tamen ut Volusî referam delitia nostri,
Sive adeò fastus, Brassica vane, tuos.
Non tanti pascale pecus, non Hispo Tragûrus,
Ad stomachum Crambe nec facit ista meum.
Me meus ad parteis vocat Heinsius, illa piorum
Delicies hominum; deliciesque Deûm.
Illius (ô Musae) liber ad sua cornua venit,
Purpureoque omni lumine parte nitet.
O quis nunc turpi possit torpere veterno,
O quis nunc tacitas possit habere fideis?
Non ego, qui nulli faveam magis. ite Vacerrae.
Heinsius est solus, qui mihi carmen erit.
Quem modò quem parvo versare Crepundia nisu
Vidimus, & planum sollicitare pedem:
Insurgit Tragicis evinctus crura Cothurnis,
Aeschyleumque aequo pondere Syrma trahit.
Non tamen hic Epulas Tereî, non saeua Thyestis
Fercula, non Bacchas, non Athamanta sonat,
Non Scyllas: non quae docuit ludibria vanus
Ennius, aut Ennî, vanus & ipse, Nepos.

Longè alia, ô, nostris iuvat exhibuisse Thëatris,
Digna vel Orchestris, magne Quirini, tuis.
Ingenteis canit ille Animos, dominosque Batavos
Aligero secum tollit in astra gradu.
Semideumque Heröa canit, feliciter; unum
Triste, quòd Hispanos detegat ille dolos.
Triste, quòd in Scurram pugnet pius. ô Dolor! ô Dî!
Quàm scelus hoc ipsi non licuisse velim!
Viveret Auriacus, Patriae Pater: optimus Heros
Viveret, & felix Belgia tota foret.
Belgia iam longis belli concussa ruinis,
Belgia, quae belli nîl, velut antè, gerit.
Vota sed haec tantùm. fuit, ah, fuit! îlicèt. ah! ah!
Quo servata fuit Belgia, pulsus Iber;
Vixit. At, ô Cives, quid eum vixisse dolemus?
En quo iam primùm vivere possit habet.
Heinsiadem dico. quo nullus acutior umquam,
Quo gravior nullus splendidorque fuit.
Credite. non soli numeros miramur Ephebi,
Et juvenem tanto posse tumore loqui.
Iuliades stupet ipse, stupet gravis ille Senator
Noster Hiantéae Dousa sititor aquae.
Iure bono: mala multa mali perpessus Iberi,
Exemplum Tragici iam puer exsul erat.
Caspari procul ite leves, procul ite Gameri;
Non facit ad Vatem pagina vestra meum.
Cedite ieiuni scriptores, cedite blenni:
Scîlicèt, huîc palmas Grotius ipse tulit.
Provocet antiquas haec una Tragoedia chartas,
Quas modò cumque Hellas, Romaque dives habet.
Sed nunc erubui de tanto divere Vate,
Cùm mihi tàm parvus perstet in ore sonus.

[Auriacus]

Daniel Heinsivs pro Avriaco sva.

AVRIACI *cineres, de bellatrixque tyrannûm*
NASSOVIVM *stirps magna deûm. Tuque aequa parenti*
Progenies immensa tuo; seu fulgida caeli
Metiris spatia, aut aequalem in pulvere circum
Aemulus Euclidae veteris deducis, & astra
Igneaque aurati percurris lumina mundi,
Tranquillae leve pacis opus; seu fervidus inter
Tympanaque fremitusque virûm provectus, Eoâ
Purpureus galeâ, & niveis conspectus in armis
Spumantem pertundis equum, dum vertice summe
Nutat apex, tremulique adverso flamine coni
Cristaque turbato circum tremit horrida vento,
MAVORTI *dux nate tuo; seu sulphure & atro*
Terribilem Iovis igne manum, flammataque coeli
Nubila, & ardentus sonitus imitaris Olympi,
Immensumque novo perterres fulmine mundum
Oceanis terraeque potens, vindexque parenti
Tandem nate tuo, tumulique exactor & umbrae
Ingentisque animae. Tuque indignatus Iberum
Aequoreae regnator aquae, magnoque QVIRITI
Acta per aequae vos confundens nomina fastos
Aeterni comes imperij, consorsque laborum
Tum quoque, cum rerum dominum, ingentesque secures
Victaque Romanas tremuit GERMANIA *virgas,*
O BATAVE *immensi maris accola, divitis vndae*
Vasticies, regum metus. O qui turgida Ponti
Inter, & horrentes hybernis motibus Haedos
Montesque, fluctusque, & caeruleam AMPHITRITEN
Prodigus humentes vitae moderaris habenas,
Veliferumque levi volitantem flamine currum
Aeolios inter fremitus, atque horrida monstra
TRITONASQVE *vagos, tempestatumque furores,*

Et concurrentes diverso è carcere fratres
HIPPOTADAE *genus indomitum, Boreamque Notumque*
Oceano mirante vehis, postremaque THVLES
MEMNONIAMQVE *domum, & magni Titanis egentem*
Praetergreßus hunium, multumque errantis IACCHI
AMPHITRYONIADAEQVE *extremo in littore metas;*
Huc agedum spectator ades: dum ingentibus ausis
Ignauam calcamus humum, audacesque iuventa
Tollimur, & priscos vaga mens se tollit in Actus,
Horridaque ingenti percurrit pulpita socco,
Et thyrso percussa venit: qua nobilis ante
Mens GROTI *divina mei, quae corpore parvo*
Cincta, per immensas rerum diffunditur oras
Causarumque vias, diu interclusa tenebris
Dirigit ardenti BATAVVM*vestigia passu:*
Orchestramque invectus eo. quo tigride raptum
Pampinea trahis artonitum per nubila pectus
Magne MIMALLONIDVM *genitor? date vela* BATAVI
Surgenti date vela. feror feror. Ebrius Evan
Semivira cinctus choreâ, & bacchantibus Euoe,
Et madido Satyrûm gemitu, & nutante Sileno
Signa movet, motusque animi ferit, imaque cordis
Excutit, & totum distillat ab aethere NONNVM.
Cernitis? immenso trepidant proscenia motu
Sub pedibusque exultas humus: (spectate BATAVI)
NASSOVIVS *dux magnus adest, ac lumina caelo*
Tollit, & ingentem defigit in aëre vultum:
Non fraudes mens alta pavet, non fata necemque,
Degeneremue heroa dolum. Non invidet hosti
Fallere posse suo: soli hoc concedit IBERO.
O fatum! ô crudele nefas! fors improba! CVNCTAS
ADMITTIT FORTVNA MANVS. NON ABNVIT VLLI
ANGVSTVM EST VIRTVTIS ITER. *Mauortius ille*
Ardor, & augusti vis pectoris; ille tot ante
Exuvijs, titulisque ducum sublimis; ab hoste
Vulnere qui pulchro meruit confossus, & icta

Cadi posse fuo, (superi & crudelia fata)
Latroni seruandus erat! patriaque ruinam
Duxit, & ingenti tremefacta BATAVIA *motu*
Externas inuicta manus, SICVLVMQVE *tyrannum*
Horruit, & sero venturum è littore regem.
Cernitis ardentem piceâ fuligine taedam
Foeminosque habitus, & tetrae virginis ora
Sanguine fumantis calido, & serpentibus hydris
Colla per horrentesque comas? prorumpit Erinnys,
Alteraque ALECTO *Siculis emergit ab oris.*
Est ne aliquid supra, stridentia colla Megaerae
Tisiphonenque Dei! quod nec Iovis ille ferarum
Immitis domitor, genitorúe PALAEMONIS *olim*
Horruit, aut Diris vltricibus actus ORESTES
Per scenas DANAVMQVE *choros? Nec* GRAECIA *nempe*
In FVRIAS *satis vna fuit. Maiora* BATAVI
Vidimus, & toto pelagi seclusimus aestu:
Cernitis indigno perfossum vulnere pectus,
Oraque torpentesque genas? En nobilis atro
Sanguine suffusa est Divae morientis imago:
LIBERTAS *iacet, ite viri: complexaque funus*
Magnanimumque heroa tenet, gemituque BATAVAM
Cum domino conclamat humum trepidumque LEONEM
Deserit, & nostris properat vestigia terris.
Quo gressum quo Diva moves? adeone Deabus
Venturi mens caeca sua est? Necdum altera rerum
Argumenta tamen, necdum exultantia campis
Agmina, victricesque AQVILAS*, natumque tonantem*
Circum castra vides? Quantum tibi restat IBERE
Sanguinis! immensam FRISIORVM *è littore nubem*
Et coniuratum video descendere GELDRVM,
MATTIACVMQVE *vndae domitorem, altique* BATAVVM
Contemptorem animi. Pater ipse è littore NEREVS
Ingentes populis animos & corda ministrat,
Illum indignantem multùm, multoque furore
Indomitum, totumque in littus cogere PONTVM

Et vastam spumantis aquae sustollere molens
Aspiceres; undae auderet quod credere VESPER
Et Siculas frustrà BATAVIS *immittere puppes.*
O animi, ô proles NEPTVNIA*, nataque rebus*
Pectora; Tempus erit (me si vis inelyta fandi
Surripiat cinerique meo, & mortalibus umbris,
Fatalesque colos extra, atque ignobile lethum
Constituat tumuli ignarum & caliginis atrae)
Quo clades THVRNOVDA *tuas, lethumque* PHILIPPI
Nobile, & EOI *perruptas littoris oras*
Expediam ingentis voti reus, armaque & enses
NASSOVIOS*: iuxtaque aeterni nominis* HVGO
Ibit & ereptum patriae donabit ERASMVM.
Illi junctus ego (si quid tamen, haec quoque si quid
Carmina venturis valeant promittere saeclis)
Illi iunctus ego, motusque animosque virorum
Armaque, fortunasque, & rerum ingentia cepta
Per populos, urbesque feram, magnique THVANI
Limina, & extremam CELTAE *properabimus oram,*
Et fines Ligurum, & praedivitis ostia RHENI.
Intereà Heroës patrij, Tuque arbiter horum
CAESARIS *invicti stirps,* AENEADVMQVE *ruinis*
Et sortis rabie, & crudelibus altior annis
Regnorumque minis; Pater ô pater annue, ceptis
IVLIADE *dux magne meis, caveaeque Senator*
Incipe cessanti fremitus indicere turbae,
Ambiguosque ciere foros, vulgique tuentis
Per cuneos latè geminandas ducere voces.
Ipse ego pacatae folijs evinctus Olivae
Sacra feram, Heroasque tuos, & magna ciebo
Nomina, VERONAEQVE *deos, Manesque parentes,*
CAESAREOQVE *aeterna feram solennia busto.*
Tu quoque tu, cui fata virûm, multumque labantem
Victuris patriam fas est committere chartis,
BOISOTI *pars magna tui, quo praestite nobis*
Inclyta LVGDVNVM *domitum defendit Iberum.*

Fas sit, fas sit DOVSA *mihi; tam grandibus atras*
Praesidijs nebulas, sit caligantia fati
Pondera, & umbrosae tenebras perrumpere terra,
Sordentesque hominum curas, vique alite mentis
Aethera vicinum legere, & sublimia rerum,
Inque SOPHOCLAEAS *animum demittere Musas.*
At tu ingens anima, & nostris innixa cothurnis
Tendis ovans per inane, soloque emissus, Ibero
Terribilis spolio, & Mauris indutus opimis
Immensum moliris iter, quaque aëra latè
Tundis & heroo praevertis nubila passu
Auratique fores premis aetheris; omnis ab alto
Cedit IBER*, umbramque tuam tremit, ipsaque late*
Flammea turbato subsidunt sydera vultu.
Sis felix, natumque diu securus ab alto
Barbaricas cernas poscentem in praelia turmas,
Et patrios multo pacantem sanguine Manes.

Personae tragoediae

AURIACVS.	SICARIVS.
INQVISITIO.	PRAEFECTVS.
TISIPHONE.	NVTRIX.
ALECTO.	ARMIGER.
MEGAERA.	CHORVS SATELLITVM.
LOYSA.	LIBERTAS SAVCIA.
SENEX	

Κωφὰ πρόσωπα sunt Satellites qui personam Principis stipant, Famuli qui infantem Comitem adducunt, & Gerula quae eundem gestat. nam reliqua Dramatis repraesentatio, καὶ τὸ πρέπον ostendet. talia sunt & τὰ νοητὰ quae Actu secundo inducuntur, quorum habitus facillime ex pictorum modernorum tabulis, aut antiquorum numismatis partim; partim inscriptionibus, & symbolis cognoscetur. CHORI priores duo Flandrorum profugorum sunt; posteriores Batavorum ἐνδημούντων; viriles omnes.

Actvs primvs.

PRINCEPS AVRIACVS.

R*Erum beate rector, & magni parens*
NATVRA *mundi: Vitaque, & Lex omnium*
In se fluentes quae trahis rerum vices,
Iocoque mani ludis humanum genus,
Lateque fusi sancta maiestas poli.
Et tu numorum sacra mater ignium
Nox, quae diei lucidam premis facem,
Silentiumque rebus indis, & polo
Faces perennes, languidosque syderum
Donas recursus, Hesperasque lampadas,
Crbesque magnos igne deducis vago:
Usamque nunquam vultibus PHOEBEN *suis*
Pro fratre reddis aurei ducem chori.
Ergon' caduca nata gens mortalium
Brevis fugacem currere aetatis viam,
Inter minaceis intonantis impetus
Fortunae, & atras sortis infestae manus
Lususque rerum? labitur velox dies
Ipsisque ab annis mensibusque ducimur,
Fatique summam pervenimus orbitam:
Denascimurque semper, & finem suum
Breves citato provocant anni gradu.
At igneae lux alta mentis, & vigor,
Scintillaque acres pectoris tundens fores,

Et ille tardi spiritus dux corporis
Aeternitatis inclytam affectat viam:
Coelemque lambit, motibusaue ingens novis
Sese lacessens impetu emergit suo,
Terramque supra fertur, & quicquid videt
Mortale ducit, terminosque transilit
Metasque rerum, corporisque odit moras:
Lethumque calcat, propriumque ad aethera
Ignarus atrâ corporis premi lue
Exultat, emicatque, nec sese capit.
Pars illa nostri est; caetera, ipsa quae dedit
Tellus reposcit, iureque exigit suo
Sese prementem corporis foedi struem,
Onusque mentis. Magnus hinc rerum parens
Coeli micantem fornice aurato domum
Et hinc & inde fudit, altaque atria
Discriminata gemmeo astrorum choro
Spectanda late vultibus nostris dedit:
Vt illa magni purior lux pectoris
Infixa terrae sit licet, terram premat
Coelumque cernat semper, & sese erigat.
Hinc illa dia laudis emergit sitis,
Ardorque honorum semper in maius ruens,
Comes ducumque, principumque; quos procul
Supraque rerum culmen evexit favor,
Et annuentis blanda Fortunae manus
In alta duxit. Belgia his cervicibus
Inclinat, incubatque, & invitum trahit

Sege laborum vasta, patriaeque onus
Fluctusque nostrae: Sancta libertas vocat,
Et servitutis faeda detrectat iuga
Mens nata magnis; nec sibi; sed omnibus
Quoscunque regis insolens premit tumor,
'Comesque rebus prosperis ferocia.'
Sic divus ille fascium dux & parens
Autorque quondam Brutus, & magni patres
Togata turba, Martis aeternum genus,
Diu labantem fulciere regiam
Sanctae nepotes Iliae: sic & ferox
Aristogiton, faustaque Harmodii manus
Caelo superbum prospere eduxit pedem.
Eundum, eundum est. Haud capit motus leveis
NASSOVIORUM *sanguis, & vanas moras,*
Periculorum provocator, & sui.
O cor, tibine vincula, & ludos ferox
Impune nectat hostis, & collum premat
Tagi tyrannus, aureo exultans vado,
Opumque nixus robore ingenti? licet
Soloque Pontum iungat, & caelo mare:
Terramque circa spumea eructans vada
Ille aestuantis caerulus regni pater
In nos resurgat: orbe concusso licet
Vtroque ab axe turbidus caeli fragor,
Atlasque latè pondere excusso tremens
Viam recuse; ibimus tamen; neque
'Servire nostrum est. Regiâ tendens viâ

In dura vìrtus sponte prorumpit; Neque
Cedens prementi subtrahit collum deo:
Seseque fato semper opponit suo
Vis alta mentis.' Nec tamen primordia
Nunc prima restant: Iacta sunt fundamina
Bellique magna prosperi praeludia,
Motusque vasti. Dexteram hanc ter inclytus
Novit Philippus, Albaque; & si quod ferox
Saevumque pectus arbiter lucis vagae
Phaebus, comantem respicit condens facem:
Haec Hydra nostra est. surgit in laudes meas
Faecunda rerum messis, & manum vocat,
Virumque poscit. tremuit Alceiden fera;
At nos ferarum victor. est & aspera
Nobis noverca, premere quae excelsas solet
Fortuna mentes, impetusque: sed tamen
'Virtute sortem qui sapit pessundabit.
Heramque inanem pectori subdet suo,
Ausisquem magnis, strennuaque adoreâ
Premet superbam casuum potentiam.
Speique vana blandioris praemia,
Dolosque & artes, vimque pellacis deae
Quae incerta semper sponte promittit sua,
Pectusque frustra credula strictum tenet
Lubens recidet, & bonis praesentibus
Ventura ducet; ipse Fortunae parens.'
Nec ansa multi defuit periculi,
Eurysthëusque nomini incumbit meo,

Et solus auget, perfidâque Iber manu
Prodest nocendo. Caetera haud quiquam moror,
De me triumphum primus ingentem tuli:
Idemque victor solus, & victus fui:
Motusque vanos pectoris molem mei,
AEstusque, & iras, impetusque subdidi
Deo, mihique. Latius virtus nequit
Efferre gressus. Omnium victor fui
Meique. Testor nobile heroum genus
Nostrorum, & ausus, sanguinemque & inclytas
Vmbras meorum, santiora nomina:
Et vos Batavûm semper invictas manus:
Et te Batavae magne virtutis parens
Ductorque Nereu; caerulo qui gurgite
Spumantibusque semper exundans vadis
Lubens Ibero caerulam opponis viam;
Victoriarum primus hic gradus fuit,
'Vicisse memet. Regna namque, sceptraque,
Mirarierque cuncta quae vulgus solet
Regesque; sortis blandientis alea est,
Caßumque nomen; larva magnarum modò,
Et umbra rerum, principum crepundia,
Ducumque. Prima haec cura virtutis; neque
Vincendus hosti est qui sibi prius fuit.'
Vincique posse sponte praeripuit sibi;
Ne restet ulli: consilique pondere
Lascivientem saepius pressi manum
Ardore Martis: impetusque mobiles

Sese solutis efferentes vinculis
In se reduxi: turgidosque spiritus
Et has superbas regii ardoris notas
Virtute strinxi. 'Principum hîc mentes calor
In prona ducit, visque feruentes ciet
Et ira motus: fraena sed magis sua
Et acriorem poscit hic legem furor.'
Sic aestuantus peruagator Africae
Venator olim, feruidum venabulo
Premens leonem victor intentat minas
Libys, feramque versat, & tergum ferox
Quatit, feritque, deprimitque: olli fremens
Spumas ab imo pectore eructat dolor,
Seseque tollit, bilis haud capax suae,
Scintillaque ardens lumine absistit vago,
Iubaeque moto corpore erectae tremunt:
Venabulumque mandit, & superbus it
Et huc & illhuc vinculi ignarus sui.
At ille contrà pastor, insultans procul
Feram lacessit; illa sese; & ingruit.
Iraque certat alter; alter ictibus
Potentiorque cedit invitus licet,
Captumque tandem sentit, & sese leo
Summittit hosti. Mentis illa regiae
Imago viva est. Surgit & sese erigit
Sublimis ille pectoris magni vigor,
Iniuriarum censor, & vindex sui:
Altasque in iras fertur, & morae inscius

Erumpere ardet. Sic minax Diuûm pavor,
Fuliginoso sub specu versat latus
Ingens Typhoeus, Aetnaque exultans tremit,
Magisque semper fata tentantem premunt.
Nec sponte nostra Martis in discrimina,
Licentiaeve spe subacti venimus;
Communis ista patriae sed vox fuit,
Iussumque: cui nos hox litare sanguine
Et iustum, & aequûm est: Poscit hoc tranquillitas
'Et pace dempta panditur paci via:
Neceßitasque est ipsa Mavortis parens.
Bellumque tandem ne sit, esse convenit:
Pacemque gignit. incipitque ut desinat
Haec una rerum.' Caeterûm hic dux maximus
Et vir profecto est, patriaeque commodis
Servire natus. 'Fervor ille impos sui
Virtutis altum nobilo obfuscat diem:
Solemque menti demit, & lucem suae.
Ardetque semper, imperatque plurimis:
At servit uni, seque nolentem trahit:
Et servitutem qui fugit, sibi dedit.'

Chorvs senvm Flandrorvm profvgorvm.

Sapphici. duo Glyconici. Reliqui Anapaestici.

B*landa torpentis requies senectae*
Vitrei fontes, & amaena Tempe:
Tuque spes nostrae domus illa; quae me
Lucis in molles orientis oras
Prina fudisti, pueremque longe
Curarum vacuum & metu
Vidisti pede mobili,
Et ridenti molliter ore
Nimium dulces texere ludos:
Tenuesque inter serpere curas.
Tuque suävis puero ab nota
Villa senique, posthac numquam
Habitanda vale. Sors dura vocat,
Dubiumque regit fortuna pedem,
Subit aeque vices. Tuque meorum
Ab natorum blanda propago,
Hilari ridens saepius ore
Medio in luctu; nescia rerum
Curaeque tuae; patri îunctos
Dirige greßus: casusque tuos
Disce, & saevi fulmina fati.
Tu quoque si quem coniux nobis

Vtero gestat nescia faetum;
Natus nondum, tamen exuleris:
Patriamque fugis nascendus adhuc:
Et tibi paena vitâ prior est.
Lachrymas tellus, lachrymas tellus
Patria tellus, ultima nostri
Dona doloris impreßa tene.
Poscimur ah ah, nos relliquiae
Genus effaetum, saturumque aevi:
Quibus infelix spiritus aegrè
Placidam ducit luminis auram.
Pars aequoreas VValachrûm sedes,
Aut horrentem Marte Batavum,
Et spumantem littoris oram
Patris Oceani, visam nunquam
Ibimus eheu; aßueta prius
Placidis ah gens vivere campis:
Pars caerulei gurgite Ponti
Toto avulsos orbe Britannos;
Aut incoctum solibus Indum:
Pars sudantem proprio semper
Sanguïne Gallum. Miseri, miseri,
Quos incertum dubiumque vocat!
Pax Flandriacas placido tenuit
Foedere gentes, patrioque foco
Veterum fluxit vita parentum:
Et tranquillo tutus in aruo
Vidit teneros ire nepotes

Auus, & lepidam currere turbam:
Qui vicinum cerneret agrum
Peregrinus erat. Patria tellus,
Patria tellus, saxaque & antra,
Et cognatae vallibus umbrae:
Patria tellus Flandria nostros
Imbibe questus.

Actvs II. Scena I.

Inquisitio cum tribus Furijs facem & calicem humani sanguinis gestans, inebriatur.

INQVISITIO.

L*Vcem perosa, lucis immunis Dea,*
Tetrumque noctis improbae ludibrium
Tot imminentes Tartaro rupi fores,
Caliginemque, magna Paenarum parens
Crudelitatis nata, quam ferox Iber
Primum sub auras duxit, & ferro & face
Quartam profanis addidit sororibus,
Noctisque alumnis: Graia queis primum manus
Vibrare saevas dexterâ indulsit faces:
Serpentibusque vinxit, & collum dedit
Atris draconum pullulare nexibus.
Gaude Megaera; nata iam soror tibi est:
Iovisque nigri primus infernum genus

Perseïdosque squallidas faetu domos
Iber scelestus auxit: ille Erinnyas
Treis mutuavit perfidus; quartam dedit.
Hispana tellus, scilicet vesper tuus
Foecundus ipse noctis exemplo fuit.
Emerge, rumpe, caede: claestraque, & feros
Caliginosae pande Naturae lares:
Lethique sedem discute, & lucem tuam
Mens atra disce. Testor anguineum caput,
Et te Megaera, teque noctis arbiter:
Et qui redundans igne Cocytos vago
Luctu tremendam flebili tundit domum:
Meque ipsa tandem (Numine hoc maius nihil)
Patremque Iberum; Pallidas ditis domos
Imperuiasque mortis horrendae vias,
Phlegeton cruento quicquid ambit alueo
Invita aliqui: Nunc tamen ferox pater
Tarpeia saxa cui patent, & inclyta
Vastae ruina gentis; è reconditis
Exciuit antris fulmine invitam trahens:
Quod non Pyracmon crudus, aut Brontes pater,
Aut claudicantis dextera effinxit Dei:
Non Siculus ignis, aut caminorum globi
Vndantis AEtnae, flammeique vortices.
At Martiorûm dißipata rudera
Vrbisque funus, & solum Quiritium.
'O quanta curas fata mortaleis agunt!
O quantus urbes regnaque incumbens Deus

Ludens fatigat dißipatque: turbines
Rerum fateri cogor invita': (O pater
Tarpeie natae liceat hoc unum tuae.)
Magni cohortes Romuli, nati Deûm;
Arx alta rerum, gens Camillorum ferax,
Orbis voratrix illa, regnorum lues
Et universi compes, & tandem sui,
Ah tot triumphis aucta pene, quot viris,
Et tot ruinis urbium vitans suam.
Illa illa regum nata Septimontium
Calcare fastus, insolensque nominis
Regalis una, spiritusque; Pro pudor
Regum cinaedis paret, & monstrp Deo.
Cui fulmen illud obsoletus Iuppiter
Sepultus arce Iuppiter Minoïa
Haereditatis lege rellictum tulit.
At contumacis vis rebellatrix tamen
Acres, Batavi corde versat impetus:
Radicitusque fixa libertas sedet
Gentis profanae: patriaeque ardens amor
Animos feroces tundit, & subigit sibi.
Vidi perustos sole candenti patres,
Piceosque voltus, funibusque atram manum:
Ruptasque nubes, & procellosas Iovis
Magni ruinas provocare audax genus,
Vndaeque legem dicere, & ventiminis.
Vidi ipse vidi, cum feri vis Africi
Tempestuosa torsit hybernum mare

Insistere undae, dorsaque aerato pede
Fluvij rapacis tundere, & crudum gelu
Acresque lapsus: ac per undantes sinus
Calcata tutam lympha praebebat viam.
Ollis sepulchrum pontus, aulaque est ratis:
Agnatus ingens, Aeolus, Nereus pater:
Forisque cives, hospitesque sunt domi.
Ilhuc remittor, & vetus colonia
Mutanda restat: deerat haec sedes mihi.
Parere certum est: maximum explevi scelus
Maiusque restat. semper antiquum parum est.
Angusta sacris quaelibet tellus meis
Viam relaxat. Aridas sitis premit
Squallorque fauces: sanguine hic opus novo est.
Pace hoc Lyaee, pace fas hoc sit tua
Dux Thyadum nocturne; non curae mihi
Nyseïo qui colle distillat latex;
Tuusque si quid languido fallax gradu
Maron procaces inter exhaurit choros,
Interque Panas, virginesque Menadas,
Et aestuantes Liberi suceo Deos.
Non si Falernis quicquid vuarum est tui:
Quod Setia usquam, vel Velitrarum colunt
Dumeta: non si tota vinorum parens
Albana tellus, Caecubique honos cadi
Descendat in me: carior sitis premit,
Paruumque nescit; pluris hic liquor mihi est,
Merumque Ibero nuper inventum meo

Cruor, Cruor, Cruor. quid o fallax Iber
Cessas? nex atrae sanguine undanti viae
Sanieque tristes squallidâ rigent domus?
Nondum recentes mens cadaverum strues,
Tabumque cernit: pure sudantes novo
Nondum revulsis oßibus pallent agri.
Cessas Ibere, fluctinus, ferro & face
Rerum coactas vortere in sese vices?
Adsum. quid hoc est? scaeve sacrorum pater
Frustran' cruentum Tartaro emisi pedem
Et hospitalem nocte mutavi diem?
Nunquam supernos sobria acceßi deos,
Et luce fuluam solis aurati comam
Terrasque vidi: sanguinis gustu novi
Efferre sese suevit optatum scelus.
Mensque ipsa factis saeva praeludit suis.
Nunc hic redundans sanguine humano calix
Feram cruore musteo sedet sitim:
Cordisque totas imitùs mergat vias,
Mentemque tollat: quicquid & clemens, pium
Nobis relictum, molle, pacatum fuit.
Bacchare certum est: En iuvat, iuvat, iuvat
Laxare mentis fraena. quid segnis stupes
Gens atra terrae? tuque germânum caput
Megaera nocte nil geris dignum tua?
Patrisque verum dextera probas genus?
At o quid atrum nubila involuunt diem?
Meque ipsa perdo? flexaque in sedes novas

Caliginosus lumina obducit situs?
Errantque tristes luce subducta pedes?
Et ominosus poplitum labat gradus?
Vestigijsque turbida incertis tremens
In luce lucem quaero, & in die diem?
Nosco furentes sanguinis poti notas:
Nosco. cruoris hocce munus & meum est:
Mentemque secum mysticus tollit furor.
Incerta certum mens tamen voluit nefas.
Terra coelum, noctis atrae regia, & vastum mare
Explicate trina vires regna, & occultos dolos.
Adsumus sacris Philippe vindices dignae tuis.
Victima ingens, victima ingens: victima hacce dextera
Concidet: qualem nec ille perfidas Teucrûm rates
Mortuus victor poposcit Ilia emergens humo;
Cum feras minax Pelasgum turba soluebat rates.
Nos Batava terra, Ibero nomen horrendum, vocat,
Poscimur? quid o moramur? quò nequit fallax Iber
Tendere, huc fraudes dolique tendere Iberi queunt.
Magnae sorores, Atthidos sacrum genus,
Priscisque Erechtei Cecropisque finibus
Cognata turba: si quid antiquum manet
Viresque vobis tempus asscripsit novas;
Quaerendus ille, qui ferox, vecors, furens
Aut genere Iberus (alterum sat est tamen)
Aut mente fuerit: quique pectore vnico
Solus profanas quattuor gestet Deas.
O flammei ignes, tuque pallentis Deae

Famulatus ingens, ignei cives poli
Relligio noctis: tuque dominatrix hera
Invisa Phoebo luna, pars Phoebi tamen
Familia nostri tota quam Ditis colit,
Quemquamne magno dum satellitio procul
Stipata iussum per uagaris tramitem
Vsquam tueris? cuius unius manu
Quod non Philippi mille potuerunt rates,
Non ferrum & ignes, armave & tristes minae
Timere Batavus discat? Intereà tamen
Certum est furentes explicare copias,
Exercitusque tota deducam meos.
Auducia isthaec subeat: haec praeceps Furor,
Ignobilisque Livor: haec Vecordia:
Crudelitasque mortis horrendae parens
Illinc cruentum claudat exultans latus,
Rerumque abortus bellicarum Fraus inops.
Sic sic eundum est: sceleribus decet tuis
Praeferre sacram Rex Iberorum facem.

Scena II.

LOISA. SENEX.

Lo.
O *Molientis alta* NATVRAE *comes*
Sacrae tribune lucis, & vitae pater
Natalis aurae magne largitor, DIES,

Rerumque Origo prima; qui reconditas
Primus tueri syderum donas faces:
O qui sepultum matre mortalem sua
Natumque nondum; mortuum prius tamen,
Informe pondus impotesque, & haud suum
In alta ducis, luminisque compotem
Sub imminentes aetheris sistis fores.
Tunc expeditus carcere infelix suo
Scintilla coeli purior, bipes Deus,
Rerumque magnus ille spectato, poli
Et universi cura; prorumpit foras,
Coelumque discit: parvulusque primulùm
Proserpit, insons, misis, ignarus sui:
Et fluctuantis tyro fortunae, levis
Prosultat exilitque, nec curae est capax,
Plagaeque nondum sortis advorsae patet,
'Ridetque simplex nesciusque. Scilicet
Optata primum fata praemittit Deus
Favens iuventae: turbidaeque tempora
Potiora vitae vindicat lusus sibi:
Interque talos, turbinesque inter suos
Süaviores vita consumit dies
Beatitatis prodiga infelix suae,
Simulque ludit luditurque: curaque
Postrema lapsae poscit aetatis sibi,
Et faecis instar ima subsidens petit.'
O nate, nate, dulce pignus; in sinu
Gremioque nostro qui vagaris huc & hunc,

Vacuumque leni transigis risu diem:
‘O dulcis aetas! scilicet primum est Deus
Novisse cuncta; proximum tamen, nihil.’
O nate, nate, mox in adversum mare
Aestusque vastos, principumque munia,
Et imminentem purpurae ferociâm,
Motusque regni deferende; nunc modò
Securitatis aureae regnum tenes:
Satellitemque praeter innocentiam
Nullum tueris; tutus hoc uno satis
‘Quod esse nescis, laetiorque: Nec potest
Vllum timere nate, quem nullus timet.’
Nondumque sensus illa pertentat tuos
‘Regum ducumque febris, ardor imperi
Et poßidendi cuncta porrigo levis:’
Cuniculosque pectore occultos agit
Ambitio fraudum mater, aut opum furor:
Tuumque ducis quicquid aspicis, Deo
Vicinus uni proximusque. N*ate mi*
Si forte somno molle reclinas caput;
Artus sopore lacteo victus iaces
Extraque motus, ciuicumq; extra metum, &
Tempestuosa casuum tonitrua:
Somnumque spiras melleum, mitem, levem
Tranquillitatis unicum testem tuae:
Quiesque lenes tutae perrepit genas:
Thorusque qui te parue diffusum tenet
Genu, sinusque est: thalamus hic unus tibi est,

Et pes cubili sufficit noster tuo:
O invidenda regibus mens! ah ferè est
Vt ipsa sortem mater invideat tibi;
Annosque similes speret, atque aevum tibi,
Cunasque dulces, nesciumque aulae diem
Fraudem timentis semper, aut fraudis minas.
Quin & querelis ne qua pars desit meis,
Et falsa, terrent: trepidaque horrentem pavet
Mens noctis umbram: & ille curarum Sopor
Exactor acer, dißipatorque omnium;
Pater mearum est: curaque haec, illam premit:
Et somniorum dubia succedit fides:
Diemque nox laceßit, & noctem dies.

SEN.
Dignata magno principis princeps thoro
Taedaeque columen: nata magnanimi patris
Maioris uxor: Fare, quid reconditus
Vultum pererrans obsidet pallor? quid os
Guttis sinusque tepidus effusis madet?
Et lachrymosus lumine exundat liquor?
Ruborque blandis solitus exceßit genis?
Meroris ah quae causa? mentis abdita
Exonera, & aegrum pectus.

PR.
Omnia, & nihil.

SEN.
An ipse sese nescit infelix dolor?

LO.
Ambiguus urit millies; certus semel.

SEN.
Sortis flagello quisquis adversae stupet
Ictuque subito pallet, hic merito pavet;
Causam doloris, & cicatricis suae,
Vulnusque, dum scit.

LO.
Plura dum nescit tamen:

Nescitque quantum lugeat caecus dolor;
Lugetque quantum nescit: id luget tamen.
Simulque sese nescit, & modum sui.

SEN.
'Seseque luctu servat, at praeocupat
Quod vitat ultrò, provocatque quod fugit,
Gaudetque maerens, & lubens miser fuit.'

LO.
Succubuit animus: poplites trepidi labant,
Simulachraque oculis noctis illudunt meis,
Seseque late spargit ignarus dolor,
Et ominosus corda peruolitat sopor.

SEN.
At falsus ille est.

LO.
Falsus, at veri pater,
Praenunciusque.

SEN.
Fluxa noctis est fides.

LO.
At non diei.

SEN.
Terret & noctis diem
Formido, seque vanus insinuat metus,
Vmbratilique somnus imponit dolo,
Noctuque fallit; at die terret tamen,
Partemque lucis poscit, & regnum suum
Transcendit audax, imperique limites.
Humanus acres spiritus motus habet,
Interdiüque feruet, & sese rapit,
Metuque pallet gaudioque diffluit
Quietis expers, corporisque terminum, &
Adiudicatas lege NATURAE *vias*
Perrumpit alis nixus huc ilihuc suis,
Exorbitatque semper, & quicquid potest,
Simulque quicquid haud potest; versat tamen,
Agilisque paßim fertur, & meta est sibi.

Adestque & absens rebus, & praesens abest,
Erratque latè, seque pandit ilia vis,
Hauritque formas elicitque, visaque
Pererrat, imbibitque, & in sese trahit.
Tunc illa luci furua succedit parens,
Polumque pullis incubans amictibus
Hinc inde obumbrat, induitque caeca nox,
Corpusque stringit, liberat mentem tamen,
Lucisque viua suscitat vestigia
Seminaque rerum, imaginesque; fomites
Motus diurni, ruminataque excitat,
Mentemque multùm gaudia inter & metus
Adhuc vagantem voluit, & circumuenit:
Caliginesque ludit in post scenio
Mimus dieï, ludibundus histrio,
Proteusque vitae futilis Somnus pater,
Verisque falsa miscet, atque vtrique se.
Ceraeque adinstar mollis, impressas tenet
Mens & figuras, & vagas rerum notas,
Redditque nocte, quicquid excepit die:
Laruataque altos somnia incutiunt metus.
At cum diei roscidum redit iubar,
Et imperator aetheris magni subit
Sol, aureamque dividit terris comam;
Fugit timoris causa, non timor tamen:
Et somniorum profuga vanescit cohors:
Nihilque restat, at nihil gemimus tamen,
Id quod quoque ante cum fuit, nusquam fuit,

Quodque esse falsò reris, at verè doles.

LO.
'Experta metuo

SEN..
Saepius favet sibi
Error dolusque, nubiloque deprimit
Rationis ignem

LO.
Decipit in malis iuvat
Fallique dulce est.

SEN.
Falsa dum latent tamen
Vt vera laedunt.

LO.
Aetheris beate rex'
Quid ah perennis imber, & lachrymae leves
Cogente nullo sponte prorumpunt sua?
Si quâ minaris imminesque saeva sors;
Sperare liceat: bis ferus mordet dolor,
Venturus, & cum vênit: & praesens nocet,
Idem & futurus.

SEN.
Pallidum excutias metum
Ducemque vitae lenioris spem fove.
Firmo maritus urbium munimine,
Totoque clusus NEREI *regno sedet:*
Pelagoque cuncto tutius quod arbitror;
Amore populi.

LO.
Haud tangit externos amor,
Peregrina nemo imperia diu subdit sibi.

SEN.
'Angustiore principis mentem viri
Meta coercet, patriam quisquis suam
Aβignat illi: Vana natalis soli
Plebs spacia finxit, & solo leges dedit.
At culmen ille dignitatis & caput,
Deoque magno pene par, & pro-Deus
Princeps vagatur: municepsque totius
Diffusalatos aemulatur mens polos:
Coelique adinstar semper in motu suo est.
Natale magni principis quaeris solum?

In orbe natus ille, patria est ei
Quaecunque soli, terminusque quicquid est.
Seseque terris aequat unus omnibus
Generosus ardor ille, & herous vigor.
Polusque quicquid caerulo amplexu tenet
Illius urbs est: civitas isthaec patet
Qua magnus aether, quaque flammantes globi
Et aureorum vasta signorum via.'
Titana magnum cernis, vt pleno gradu
Superbus altum metiatur aethera,
Coelique partem teneat, & totum petat,
Viaeque magnae per novas semper licet
Adveniat oras; advena haud usquam est tamen,
Quocunque namque tendit, in domo sua est:
Seu purpurato cum renatus atrio
Cubile coeili pandit, & lucis fores,
Auroque crispam roscidus tollit comam:
Seu cum diurnâ membra defessus viâ
Dulceis in ulnas Thetyos fertur suae,
Axemque utrumque novit & neutrum colit.
Sic feruor ingens, mensque magnorum ducum.
'Vbique civis ille, & inquilinus est
Quicumque princeps.'

Lo.
Omnia & scio, & dolet
Timere posse, dum dolet, timeo tamen,
Metusque causae nescius, causa est metûs.

Chorvs.

Anapaestici.

O *Qui levibus vectus habenis*
Virides subter roris genitor
Laberis herbas, violasque inter,
Et trepidantes tepido circùm
Sole myricas thalamum figis
Blande Favoni, pastusque levi
Nectare ludis; sive per altas
Lenibus alis laberis undas:
Seu per gelidas specuum latebras
Montesque procul tenui serpis
Humore pater, qua lascivas
Tityrus insons subducit oves:
Iuxtaque suas blanda Amaryllis
Supputat agnas, & tibi dulcem
Felix Thyrsi condit avenam,
Gens immitis nescia fati
Sortisque vagae. Quam palantes
O verne pater prendimus oram?
Placitas certe liquimus ante
Dilecta tuas Flandria sedes;
Sed tamen unà liquimus atri
Nomen Iberi. patria est nobis
Quicquid saevus nescit Iberus.
Salvete tamen vos ignotae
Littora terrae. tuque o lucis

Aurea mater, tandem maestis
Reddita terris, O quae caecâ
Tenebras tristes Aurora parens
Proscribis humo; cum sperato
Phosphorus audax exilit ore,
Cogitque suos undique fratres
Roseae invitos cedere luci,
Et sydereas ducens turmas
Mox redituras in castra sua
Iam didicit Hesperus esse,
Et mutato nomine fallax
Altera solus munia poscit.
Fugiuntque suos sydera lusus
Veniente die; nos tranquilli
Munera somni, partesque suas
Regnaque rursus dolor invadit,
Tristisque labos: subitoque atrae
Circum volitant agmine curae.
At Simplicitas sedes hominum
Sera reliquit, Taurosque colit,
Et Massagetas, gentesque feras,
Nostrisque procul exulat oris.
Ibi quisque suae est auriga domus:
Peregrinantes quisque vagasque
Incolit aedes: sic mutarum
Tranquilla colit saecla ferarum.
Cernis cernis per inane leves
Nare columbas, expersque metus

Placida ut campos perrepat ovis,
Tuque ô tepidi conscia veris
Quae nocturno carmina fundis
Ebria rore:
Quae sub tremulis Zephyri tenui
Flamine ramis, tua tecta colis,
Paruosque lares, nutantesque
Strepitu tenui suspirantis
Leniter aurae, florumque leves
Incolis umbras Blanda cicada.
Non te trepido quatit infelix
Turbine Mavors. Non te querulae
Denso cingunt murmure lites.
Non vanorum longè sequitur
Turba clientum, regnumque tenes
Secura rosas, inter & herbas:
Et tibi si qua est Curia; tantum est
Flos, aut tenuis culmen aristae.
Haec aula tibi, regiaque: illhic
Ius agricolis, & venturae
Tempora lucis, lepido pandis
Leniter ore, Blande senator:
Nec te clusis tristia cingunt
Maenia portis. Non crudelis
Vrbem placidam, sedesque tuas
Invadit Iber: quaeque per auras
Tenui sudant flumine guttae;
Tibi sunt blandi dona Lyaei,

Mulgensque leves caelitis undae
Garrula succos, roseos Phaebum
Cum iungit equos matutinâ
Prima solutas obvia voce,
Felixque optas iterum coeli
Succedat iter. Tu secura
Pacis alumna, Tu Dedaleae
Filia terrae. Tua sunt viridis
Gramina campi: tuus omnis ager.
Felix, Felix! quotiesque tuas
Vaga cernis opes, plenâ plenâ
Dulcia solvis Gaudia voce.
Nec divitias caelare suas
Sustinet illa teneri cordis
Pura voluptas.
Comes agricolis, Tu messorum
Rapido durum solis in aestu
Solaris opus. Non tibi saevi in-
Notuit Albae nomen, Iberque.
Non perfidiae Gens tetra tuae
Nos ludibrium casibus ah ah
Lususque sumus. Nos vrgentis
Premit insultans turbo procellae.
'Leviora levis Fortuna videt,
Parvaque parvos fata lacessunt.
Homines curis Gens nata sumus.
Superi, Superi, quisquis multos
Ordine cives, gentesque regit;

Plures metuit. superi superi
Quisquis multas vndique terras,
Gentesque suis subdidit armis;
Plures poscit. Vos crudeles'
Genus infidum posthac nobis
Ite tyranni,
Aulaque fraudum perfida nutrix.
'Nimium multis immensa patent
Limina curis; Mea tecta omnes'
Angusta metus, tenui excludent
Culmine, sic sic, locus haud nimius
Domino; at curis, non vllus erit.
Regnumque meum est, domus exilis,
Larque suauis: populique mei,
Lepido circum concurrentes
'Ordine nati. Nimium diui
Labitur ille, qui cum mundi
Totius alto corruit ictu.'

Actus. III. Scena. I.

SICARIVS. PRAEFECTVS.

Q*Vo? quo? quis vrges? huccine anne illhuc feror?*
Vtroque certe: saeua tempestas dei
Intus redundans cordis excercet salum:
Exaestuatque mens: & incertus ferit
Ardens tremensque pectoris votum tumor:
Sedemque mentis hinc & hinc pessum trahit

Metus, tenaxque consili ingentis furor:
Cordisque caecis impetita fluctibus
Casura nutat vis, retroque corruit;
Incerta quonam, quodque factura annuit
Feciße nondum luget, insultans sibi,
Praeponderatque vtroque, & vtroque imminet:
Inobsequensque pectoris magni ciet
Motum reluctans feruor, & premi negat,
Redireque ardet rursus, & rursus nequit.
Sic cum profundis auctus in praecordijs
Telluris imae, daedaloque viscere
Magnae parentis ignis occultè furit:
Notique saeuis Africique follibus
Nutritur ardor, latiusque promouens
Vulcanus intus flammeas agit vias,
Crateraque altum matris occulto in sinu
Molitur, aestuatque: & immensum sibi
Iter resurgens flamma molitur foras,
Caelumque poscit, impetu minor suo:
Donec pauentem totus inuadit diem,
Ruptoque hiatu mugit, & tetroèspecu
Inauspicatus victor exundat vapor.
Quo voluor, effluoque? quo praeceps traho
Voti ruinam consilique? quid tremens
Felicitati terga mens vertis tuae?
Exurge pectus, masculique spiritus
Recollige aestus: si quid elapsum tibi est
Duplo reprende. Iam feror, certe feror,

Quis? quo? quid? vnde? visa, portenta horrida
Obtestor, & vos atra mentis omina,
Quaeque vmbra vultus nocte delusit meos,
Seu numen, aut quid numini advorsum fuit;
Perstat, sedetque fixa mens: nihilque quam
Mortem videre restat huius, aut meam.
Ergo ergo tandem, quo ruinosus furor,
Ardentibusque palpitans cor motibus
Ingentis vndae, quoque lanx vergens diu
Sententiarum, lubricique turbinis
Propendet, inclinatque, quòque mens vaga,
Hospesque magni pectoris rapit deus,
Et nox dolorum seminatrix omnium
Gradum capesso: turbidisque fluctibus
Ventisque totam fervidis dedi ratem.
Vidi, ipse vidi, prima vix nascens dies
Dubium recenti luce spargebat polum,
Diesque nocte mixta; nox erat die,
Secumque magnos exigebat impetus
Rerumque vastas mens futurarum vias,
Blandae quietis nescia, haud sui tamen;
Immane, celsi corporis, vastique, onus
Notoque maius foeminae ingentis tuor.
Ast illa gressu pallida elato furens,
Vultuque nostro turbida incumbens thoro,
Ter fulgurantem dexterâ excußit facem
Vocemque rupit. Sequimur ô sequimur Dei
Spondetque mens itura quâ nescit viâ!

PRAEF.
Quo fluctuantes insolens gressus refert
Titubante passu temerè, & incerto pede
Ambiguus hospes? creperus haud quaquam color,
Exanguis, amens, & profundi luminum
Placent recessus, & supercilij tremor,
Nimioquo ceu furore labentes genae,
Vecordiaeque proditor, vanus timor.
En metuit, en, trepidatque, maestaque huc & huc
Flectit, reflectitque ora, nec satis sibi
Lucique credit: maximum hoc pectus scelus
Metuit paratve.

SIC.
quo feror? rursus dolos
Mens necte & astus: & procellas pectoris
Fluctusque cohibe.

PRAEF.
Siste. quo gressus agis?
Cuias? quis? vnde?

SIC.
tristis, infelix, miser:

PRAEF.
Quo versus ergo?

SIC.
Nominis ter inclyti
Nassoviorum pridem, & augustae domus
Cuius trophaea primus emergens dies
Stupet, ultimusque praelia, & bellum ferox,
Motusque Iberi regis, & tristes minas,
Minister adsum, maximae interpres rei
Admißus olim, profugus, extorris; patre
Patriaque viduus.

PRAEF.
Nunc tamen quonam moves?
Aut quas in oras tendere est animus tibi?

SIC.
Quo sors agit, Deusque; quo miseri solent.
Patriam reliqui, patriam rursus peto,
Semperque terras has, vel has mutavimus,
Sortemque numquam. vbique cum fui, fui
Vbique miser. hoc vnicum restat mihi

Miseriam eundo transveho paßim meam,
Nusquam relínque.

PRAEF.
Quo parente? qua domo?
Quis generis autor?

SIC.
Per secunda te precor
Gentis Batauae fata, perque nescia
Spei metusque corda, & inuictam manum,
Excussaque ante regis infesti iuga,
Domitamque ponti fluctuantis regiam
Aestusque canos, inuiamque semitam
Magno Philippo, & Hesperuginis duci:
Per has perennes turbidasque lachrymas,
Quas fluere cernis, perque tabentes genas,
Singultibusque rupta tot suspiria,
Animique vúlnus: quemque nulla forsitan
Solis corusci nata delebit dies
Solitum dolorem. Sic genus Nereïum
Marisque dominos discat infelix Iber:
Longaque terras ambiat propagine
Faecunda rerum turba gens Neptunia
Annosque laude, saeculamque viribus
Post se relinquat parua stirps Nassouia;
Tacere liceat, tabidique vulneris
Lenem cicatrix squallida obducat notam.
'Memoria doloris ipsamet saepe est dolor.'

PRAEF.
Tacito dolori nulla succurit dies.

SIC.
Obliuione corruit solâ dolor,
Virtute maior, auxilique nescius.

PRAEF.
Phoebeïam quicumque detrectat manum
Dolore pressus sit licet; causa est tamen,

‘Vulnusque semper auget, & semper gemit.
Malisque gaudet ille, qui solus dolet.

SIC.
Dies mederi cui potest, solus potest.

PRAEF.
Breui mederi longa non solet dies.

SIC.
Lugere didicit ille, qui luget diu,
Aetate sensim summa decrescunt mala,
Díuque magnum quod fuit, fit & leue,
Viresque sumit tempore, & perdit suas.

PRAEF.
Frustra latebit vsque.

SIC.
quicquid alteri
Frustra refertur, tutius frustra latet.’

PRAEF.
Sperare opem qui nescit, auxilium potest,

SIC.
Age, post dolores rursus infelix, age
Et fortis esto mens in aerumnas tuas,
Et ante quicquid, asperum, durum tibi
Abominandum, noxium, aduersum fuit,
Dicendo reuoca. citius ardentem poli
Titan relinquet orbem, & occasu suo
Praeuertet ortum: citius aetheris vagam
Regina noctis luna dediscet viam:
Laudes Batauus Martias; fraudes Iber,
Quam fata sicco lumine euoluam mea.
Eheu me! eundem principem lucis diem
Curaeque vidi, vix & in cunis suis
Fefellit atras vita fortunae manus,
Et blandientis primus aetatis lepor,
Vernumque vitae tempus, & tranquillior
Ridentis aeui, leniorque semita:
Crescentibusque tempus accreuit malis,

Pariterque curas auxit, & sese dies:
Et effluentes aemulus cursu dolor
Aequavit annos. hei mihi natus fui
Simul miserque.

PRAEF.
Quae tot in te nubila
Imbresque rupit ira fortunae suos?

SIC.
Vnus dolores plurimos vexit dolor.
Vidi vapore fumeo ambustum caput
Miseri parentis, membraque infelicibus
Populata flammis: ipse spectator mei
Doloris aderam: parvus, inscius, rudis
Quotaqunque turbae pars euntis, huc & huc
Visurus ibam, sortis ignarus meae.
Vidi reciso stipite, & multa comâ,
Ramalibusque roborum, ingentem pyram
Strui sub auras, nemoris immensi luem.
Dum iactor, & me confluentis impetus
Fremitusque turbae voluit, & secum procul
Populi procellas inter, & magnum fori
Vndantis agmen, civiumque murmura
Motusque, perdit error; inveni patrem
Iam perditurus: teque vidi, haud denuo
Visurus vnquam, vita, spes, opes meae
Animique fulcrum languidi O dulcis parens:
Olli trementes horridus tortor manus
Hinc inde ferro, duplicique compedum
Frustra labantes strinxerat vinclo pedes,
Instansque crebris verberum vibicibus
Senile multo vulnere vrgebat latus:

Canaeque largo sanguine vndabant genae,
Et illa sacra temporum nix, vltima
Labentis aevi meßis, & fessae seges
Extrema vitae rore sudabat novo,
Cruenta multùm, puluerisque squallido
Infecta coeno, morsque iam toto viri
Errabat ore saeva, vicina imminens,
Et ante funus, funus infelix erat,
Iterum futurus morte; nunc mortis metu.
Penè & dolori spiritus cedens suo
Effugit hostem, seque furatus sibi est,
Mortemque propera morte vitavit suam.
Bis, impeditas sustulit caelo manus,
Et bis remisit rursus, & frustra fuit,
Gemitumque ab imo pectore ingentem trahens
Lachrymasque inanes, flebili erupit sono:
Tu purioris magne regnator poli
Caelumque factis omnibus praesens meis,
Et cuncta lustrans, cuncta quod circum tegis,
Antestor inquit. cernis haec? cernis? trahor
Et vos meorum gens pusilla liberûm
Pudicaque vxor, O mea aeternùm vale.
Extremus ore frigido haerebat sonus:
Tortor cruentas inijcit collo manus,
Vitaeque cursum rumpit, & voci sonum.
Flammisque trepidum trahit, eminus tamen,
Maiorque letho paena fit lethi mora,
Morique nescit: quodque postremum fuit,

Negata mors est ipsa, morienti tamen.
Tandem misertus ipse prorumpit vapor
Ambitque vultum, dum fuit vultus tamen,
Vnaque luce carceri, & letho fuit
Addictus ille, binaque infelix tulit
Mortisque damna, compedumque: & O nefas
Nullius vnquam fraudis aut doli reum
Idem beatum vidit, & cinerem dies.

PRAEF.
Et quae furoris causa tam subiti fuit?

SIC.
Quaecunque vobis, quaeque tot quondam expulit
Laribus paternis, sancta libertas, fides,
Pietasque pura: cuncta praeterquam scelus,
Odium tyranni, rituumque adulteri
Regis sacrorum, frausque Romani patris.
Exin dolores inter & suspiria
Miserae parentis, degere aetatem in malis
Peniuriaque, flebilem ingressa est viam
Puerilis aetas, liberisque reddita
Pro patre rapto sola paupertas fuit.

PRAEF.
Opes quis autem sustulit misero suas?

SIC.
Qui vitam.

PRAEF.
Eone peruicax mentis tumor
Legisque certae ignarus erupit furor?

SIC.
Saeuitum in omne est ordine infelix genus,
Paterque saeva morte multatus iacet,
Vitaque mater: paenaque illi mors fuit;
Huic munus esset: quotque liberos parens
Totidem doloris liquit haeredes sui,
Opumque nullos.

PRAEF.
Surge & aduerse feras

Sortis malignae corde prouoca minas,
Fatumque contra pectore excelso preme.
Campoque aperto Martijsque legibus
Inuade Iberum: cuncta fraus absit procul
Ignota Batavis: exulat nostris adhuc
Hoc nomen oris: artis haud Mavors eget.
Virtutis altae robore & forti manu
Ferroque tantus expiandus est cruor
Animique motu. poscit vltricem manum
Nati cinis paternus, & virum vocat,
Puerum nequibat; quicquid effluxit tuis
Ignouit annis, Nunc age vltorem para.
Natum parenti: magna te moles premit.
Tune vt sepulchri debitor tanti, queas
Haurire lumen, siderumque ardens iubar?
Ah creditores patrios manes habes,
Teque vmbra poscit illa, te cinis ciet,
Et ipsa lentum terra te mater vocat,
Geritque frustra. Feruet aetatis calor
Sanguisque totas integer venas alit.
Vtrumne laudì pectus occallet tuum,
Speique totas vita praeclusit vias?
Exurge tandem, pectorisque seruidas
Effunde habenas, teque huic dedas duci
Nomenque Marti.

SIC.
Scilicet fixum est, placet.
Ergo vt iuventae largioris plenior
Pulsavit aetas limen, & lanuginis
Autumnus atras primus infecit genas,

Rebusque dignum tempus, & primordium
Maioris aeui, cum dolor, primusque honos
Potentiores pectori subdunt faces,
Vehuntque in altum, deprimuntue spiritus
Motusque primos; fata iuraui tua
Miserande genitor, cladis & tantae necis
Futurus vltor. Nunc quoque, immensa licet
Vastaque mole dura paupertas premat,
Et eminentem saeva virtutis diem
Nisusque condat, opprimatque, & arduos
Supplantet ausus, & resurgentem domet,
Plerumque magnis imminens conatibus
Imbelle pondus, & dolor penuriae
Aedilis altis additus virtutibus,
Quoties parentis cunque praerepti tamen
Sensus cruentis cor fodit calcaribus,
Ceu ille longa membra defessus die
Bellator alto cornipes torpet situ,
Mauortis acres suetus inter impetus
Glomerare gressus: ille dum tempus sinit
Annique, & aetas, it iuuenta feruidus
Enses micantes inter, & ferri minas,
Ardensque gestit, toruus, & plenus sui,
Strepituque maior, auribus totis bibens
Galeasque, vocesque, aeraque & neces virum
Superba crurum ponderat volumina,
Tremitque palpitatque, & in numerum salit.
At nunc senectae pondus infelix licet

Suique vix pars, si tamen litui procul
Tubaeque notum rursus hauriat sonum;
Inhorret armos, & tremor totos vetus
Redux in artus, corpus immensum quatit,
Auremque sursum tollit, & terram ferit,
Annosque nescit, seque restituit sibi.
Sic colla quamuis semper incumbens, graue
Onus fatigat, impetusque intercipit
Laudemque rerum degener penuria
'Virtutis vmbra, & pertinax neceßitas'
Sublime dura cor retundens compede,
Animique nascens lumen, & promtam satis.
In bella dextram; sic quoque ardentes agit
Sublata motus mens, suasque ventilat
Libratque vires, copiamque: & peruigil
Invsitata parturit molimina,
Nec ille cassam laude sol praesens facem
Ducet sub vmbras. singulos perdo dies
Si nil Iberus.

PRAEF.
Perge, sitientes patris
Restingue manes, sanguinem sanguis suum
Exposcit ille.

SIC.
patriam versus trahor
Nec illa nobis vana diffluet via:
Nunc ecce nostris praestitem conatibus
Heroa petimus, splendidae culmen domus.
En ipse celerem praeuius refert pedem.

Scena. II.

AVRIACVS. LOISA.

Q*Vid immerentes rore commendas genas*
O dulcis vxor, maestaque amplexus fugis
Visusque nostros, nec süave purpurae
Hilarumque laetae mentis emergit iubar,
Vultumque pingit? non vt ante, candida
Tibi serenus ora perstringit rubor.
Sed maesta, sed deiecta, sed luctuis grauis.
Sic illa Phoebi blanda spoliatrix sui
Nocturna Phoebe pallet, & caecum caput
Obnubit atris implicata nubibus,
Poloque lumen tollit, & terrae polum
Trepidique torpent aetheris magni chori:
Suasque linquunt aurei fratres domos
Vigiles serenae noctis, & caeli cohors
Statione ruptâ. Non ita pridem tamen
Certe fatebor dulcis O confors thori,
Non tanta lachrymis causa defuit tuis,
Cum perduelles inter & nostram manum
Paruo redundans alueo Rhenus stetit,
Vitaeque nostrae terminus flumen fuit,
Mortemque vidi semper & fugi meam.
Certe fatebor quicquid huius est, mea,
Nec dulce vanis dictionum fraudibus
Ambagibusuc pectus inuoluam tuum;

Non vlla Iberum, meque sat tutò queat
Diuidere tellus; Non Pyrenes si iuga,
Idemque Celtas meque disiungat tuos,
Discriminataque Alpium cacumina,
Quacunque late cornibus caelum suis
Vicinus ambit, aemulumque verticem
Humerosque circum velat aestivo gelu
Apex superbus, nubibusque aptum caput:
Terraeque quicquid contínentis vspiam
Succumbit arcu flammeo ingentis poli,
Inhorruique semper, emínus licet,
Fraudes tyranní, comminus nunquam manum,
'Timuique solo quod timore vincitur
Dolos & astus: caetera haud quicquam sibi'
In hoc profanus corde deposcet timor.
Non vlla tantum (testor hoc vnum deos)
Capax Iberi terra, sit simul mei.
At nunc profundo spumeus regno pater
Tot aestuantes victor obiecit sinus
Molitus alta fluctibus diuortia
Sequester ingens arbiterque; solus hic
Horrere Ibero suadet, & nostro vetat.
Primus Phílippum patriam vrgentem viam,
Orbisque habenas mente voluentem suâ
Vidi tulique; Primus hoc voui latus,
Et prurientes totius fregi manus,
Ardore mundí. per meae Batauiae
Certe ruinas, & lacesßitum caput

Maiora poscit. sternit hanc votis suis,
Conatibusque rex superbus semitam,
Et vniuersi candidatus est Iber.
Gaudete reges, proximum polo genus,
Aboriginesque caelitum magni duces
Diuûm propago: tutor omnibus fui
Simulque noster. cuncta defendi loca
Cum nostra cepi. vindicem Belgis dedi
Munimen orbi: cumque rex mundo minax
Soli patentem liber inuasit viam
Venturus vltra; primus obieci mare
Moramque feci. terra non satis fuit;
Succeßit vnda: coerulisque fluctibus,
Pontique saeuam gurgite repreßi manum.
'Namque inquietus feruor ille principum
Gliscendo surgit, seque tollit: & licet
Sit aemulator nullius, fiet suus
Regalis ardor: pluraque hoc vno petit
Quo plura restant: perque populorum rapax
Crescit ruinas: quodque supremum reor'
Bellum sine hoste geßit Albanus furor,
Egitque ciues in se & armauit suos.
At tu reposta lenior cura veni
Oblanda coniux, mentis O vigor meae
Eademque thalami; frontis & supercili
Nubem serena: laetaque in cultus redi
Habitusque veteres. Nunc in amplexus patris
Commune pignus veniat: & collum premat

Breuibus lacertis paruulum germen domus
Natusque noster: sic iuvat, certe iuvat
Curis fathiscens, Belgiaeque pondere
Laxare pectus, otioque turbidam
Rigare mentem, lenibusque gaudijs.

LOIS.
Metuo marite: plura non queo tamen,
Metuo marite.

AVR.
tristia & luctus graues
Remitte Iberis. omen hoc nostros precor
Inuadat hostes.

LOIS.
Neutiquam frustra tamen
Timore vano fluctuatur cor meum;
Nec ante tanto; Qualis hybernas ferox
Cum Corus auras, arbiterque fluctuum
Caecas profundo coerulo intentat minas
Insanus Auster, vimque praemittit suam
Venturus ipse; sensit aduentum dei
Thetys residens, summaque absentem licet
Exhorret vnda, turbidoque aspergine
Cautes trementes inter alludit mare,
Refluitque rursus, seque sorbet, & fremit,
*Sensimqu*e *maius turget: vndaque hinc & hinc*
Terram flagellat dubia, vix credens sibi,
Adhuc futuri plena. donec impotens
Caeli furentes peruagatur cardines
Pontumque verrit ventus, & nubem trahit,
Et incubantem fluctibus miscet polum,
Vadumque voluit, pallidique nauitae
Pectus pauore soluit, & fluctu ratem.
Sic ante luctus luget, & fatum sibi

Indicit aeger mentis igarae stupor.
Non me Lyaei dona, non mitis Ceres,
Ipsaeque dulces ante delectant dapes,
Crescitque in ore lentus inuito cibus.
Victos nec artus vinciulo mitis sopor
Leni pererrat, flebilesue luminum
Demulcet orbes. cura non lapsu graui
Noctis profundae liquitur, sed in genis
Infesta, pernox excubat. Tremo, tremo,
Metuo marite.

AVR.
scilicet pacem tremis
Non arma quondam.

LOIS.
Pace tranquilla viros
Perire didici. pace tranquilla iacet
Quem non tot ictus, ciuiumque murmura,
Quassumque regni corpus, & Celtae furor:
Non factionum saeua concuβit manus,
Non Martis alta vis, & inclinans onus
Patriae ruentis. pace tranquilla iacet,
Bellique finem vidit, & vitae suae.

AVR.
Secura metuis?

LOIS.
Ne diü sint.

AVR.
si quid hic
Vsquam tremendum, siquid aduersum fuit
Trans mare relictum est. longa nos secat via
Simulque fi audes, & dolos. toto mari
Distamus illhinc vnde metuendum fuit
Quicquid timetur. omne trans pontum est scelus
'Vnaque Iberus.

LO.
PAX *subinde decipit*
Securitate, Marsque tutatur metu,
Cavetque semper arma, qui semper timet.'
Testis maritus, testis & genitor fuit,

Alterque natae monstrat, alter coniugi,
Timere quauis fraude plus, quicquid latet.
Ille, ille, regni fulgor ingentis parens,
Potensque rerum, sacra vis Colignij,
Emancipatus horridae pendet neci,
Interque terras & polum, neutrum tenet;
Vtroque dignus: impotens spectaculum.
Sortis proteruae, sydera & caeli vagos
Testatur ignes, duplici functus malo,
Diuisque versum corpus, & terrae vicem
Demonstrat ille, nec sepulchro clauditur
Caelo sepulchro tutus, & patriâ suâ.
Quis fata nescit magne Theligni tua?
Fossumque ferro pectus, & tristem necem?
His his in vlnis ille, in hoc, in hoc sinu
Vndans cruore triste demisit caput,
Oculosque morte iam natantes, collaque
In ora nostra flexa, & exangues genas,
Animaeque dulces ore languenti bibi
Abeuntis auras: pressus, elisus diü
Inter lacertos, inter haerentes manus,
Interque vultus, spiritus fugit meos:
Quemque ipsa tenui, perdidi ereptum tamen
Misera maritum: concidit pondus graue
Vel sic tremendum perduellibus suis,
Impune magna Guisiorum victima.
Hymen quot ille finis heroum fuit?
Haud cariores vlla gens vidit thoros

Emitue taedas ante quis pluris suas,
Regique regni dos cruor fuit sui.
Quis metuit istos quisue trepidauit dolos,
Caecasque fraudes, & reconditum scelus
Aulaeque latebras? horruit nemo necem
Nemoque fugit.

AVR.
desine infelix metûs
Luctusque inanis, neue vanis irrita
Te trade curis. firmus à nobis locus
Defendit hostem.

LOI.
Nullus hic hostis fuit

AVR.
Fuere & omnes.

LOIS.
Vocibus certè tuis
Lubens remitto quicquid est, tamen tamen
Metuo marite. perge famularis manus
Paruamque patri sistite hic prolem suo.
Hic en hic ille est, dulcis effigies tui
Pariterque nostri, pars mei, pars & tui
Vtrumque iùngit. hunc ego quoties tuor
*Quotiesqu*e *vultus cerno, & has paruas manus,*
Similesque patri luminis blandi notas,
Lachrymis invndo. siquid aduersi ferox
Fortuna regno moliatur, aut tibi
In hoc süaue pars redundabit caput.

AVR.
Accedat agedum. Nate spes O nunc patris
Futurus vltor, Nate Nate, surge age
Laudum sititor, aemulusque patriae
Virtutis, aeuo maior; aetatem tuam
Transcende victor,temporisque vrge moram,
Annosque iam nunc supputent moestae tuos
Matres Iberae. Nate, vt illud contuor

Sublime pectus, oraque & vultus meos,
Decusque latae frontis, & toruas genas,
Ingens Philippi crescit hic terris pauor.
O nate, nate, dißipata nobilis
Comae propago, & ille vagitus grauis
Elementa rerum spondet, & certam manum
Aususque magnos: Nate, si quae forte sors
Caeptam parenti durior rumpat viam,
Iterque rerum claudat atque exordia
Ingentis orsus, Belgiaeque motuum;
Viduae parentis dulce solamen, patri
Vultu superstes esto, laudibus tibi.
Patremque matri redde, patriae virum.
At cum iuventae largior, vis, liberas
Totasque rebus Martijs pandet fores
Sublimis ardor auctibus surgat nouis,
Seseque late fundat, & metum sibi
Mox regna subdat, iam triumphorum capax,
Auosque Diuos voluat, & magnum genus.
Illhic Adolphi pectus altum, & indoles,
Tergoque numquam notus, aut fugae memor
Dium Renatus nomen. O sanguis meus
Eritne lux haec, quâ per vndantum, salí
Deuectus aestum, per Bataua littora,
Nereîque regna spumeum aerata secans
Sulcum carina, victor ardentem minis
Adhuc Iberum littore extremo trahas?
Patrique Opima laetus, & victos lares

E puppe monstres? Nate, virtutis tuae
Testem Batauum, Belgiaeque vindicem
Togae potentem, curiaeque purpuram,
Patresque magnos trado, & Ichnaeae decus
Sanctum senatum. sic nec amisso patre
Futurus orbus. Nate, iam motus tuos
Expectat hostis, quassaque Europae salus.
O nate, mundo conscio qui nascitur
Latere nescit. Principem totus suum
Expectatorbis, oraque & vultus ducum
*Annos sequuntur, gestaq*ue *& fortem manum*
Gliscentis aeui. Nate, magnanimus tibi
Binas Batauus monstrat armorum vias,
Terram, salumque: semita haud vna est tibi
*Modusque rerum, terraq*eu*, angusta est nimis;*
Vides & aequor: ipsa te in lucem trahit
Natura nate: quodque supremum tamen
Felicitatis arbitror culmen tuae;
Vincis coactus, poscerisque. hinc caerulae
Regnator vnde Cattus: hinc venti sciens
Fidum VValachri cor, & aetatis suae
Profiisor ingens Geldrus, & Friso minax
Cient morantem. sis licet vicor cito
At vltor esse non nisi sero potes.
O nate nate, tramitem O quantum tibi
Ingens parentis praeuij strauit labor!
Quae O nate quondam nomina, O quantos leges
Mutantis aestus patriae, & fluxas vices,

Ruptumque regi faedus, & tetras dapes,
Dolosque Iberum: Qualis excusso iugo
Turbatus atro Mosa spumauit vado,
Stagno redundans turbido: Quantas pater
Superbus Honta, cornibus flexis, virum
Strages cruento victor inuoluit sinu,
Cadauerumque mole praeclusus sibi
Quae siuit in se sese, & ingentem viam
Molitus extra gurgite vndanti fuit.
Qua primus, Albae terror, audaci manu
Regina ponti, magna fraenatrix Sali
Flißinga versos sensit exultans deos:
Soloque victas nomine exterrens aquas
Curru marino vectus, & vastrâ trabe
Per fluctuantem nauita erumpit viam,
Praedasque late verrit. At tu patriae
Foecunda nostrae, dolce solamen thori
Coniunx, memento per paterna paruulum
Trophaea natum ducere, & Mauortios
Parentis ausus, armaque, & raucas tubas.
Sensimque in hastam surgat, inque puluere
Equi lupatis ora spumantis premat,
Armosque ferro calcet, & crudam niuem,
Caelumque aperto vertice hybernum ferat:
Cum se pruinis turbidus laxat polus
Brumam lacessat primus, & spumans vadum
Nusquam tremiscens, pectoré aduerso domet:
Exsuscitandus ardor ille est, indoles

Ne forte tetro sacra torpescat, situ,
Aut sub veterno regius lateat vigor.
Virtutis altae fomites claros tuor
Oblanda coniux; vidimus nuper; meo
Cum forte iussu noster ille a limine
Mota satelles arma vibrabat manu,
Mauortiasque miles inflabat tubas,
Arrisit ille, gaudiumque feruido
Admisit ore, vixque nutricis sinu
Sese remisit, emicansque dexteram
Protendit, exilijtque & in ferrum ruit.
O nate, dignis scilicet crepundijs
Nassouiorum gente praeludis; neque
Iners paternum nube suffendes genus!
At nos süetae iam vocant vxor dapes
Mediumque Phaebi currus inuadit polum.

Chorvs

CHORIAMBICI, DIMETRI IAMBICI, DACTYLICI PENTAMETRI, HEXAMETRI SAPPHICI.

F*Rustran' sollicitis condita vultibus*
Obscuris latuit Cynthia nubibus?
An lapsum miseris fataque gentibus,
Et belli dubios nunciat impetus,
Et Mauortis opus? Fallere, fallere
Quisquis mente leuem vectus in aëra

Adscribis nimiam syderibus fidem.
Namque illa emeritis pallida cornibus
Fratri blanda suo basia diuidit,
Seque exinde nouis instruit ignibus,
Et Phoebi tepidos concipit halitus.
Illinc dulcis humus parturit, & leuis
Humescit saturi penna Fauonij:
Illinc Daedalei progenies soli
Ridentes violaeque, & violae soror
Circum virgineis picta ruboribus
Florum nobilium dux Rosa nascitur.
Tellus vere nouo, iam genitalibus
Lucinam patitur faeta caloribus,
Lucinam patitur veris, & obstetrix
Aspirat leuibus Cynthia mensibus:
Caelum nutrit amor, nutrit amor solum.
Constant faederibus omnia mutuis,
Terramque magnus aether
Amplectitur, suisque
Gerit, fouetque in vlnis,
Taedasque ouans quot annis,
Redintegrat iugales,
Et coniugem fatetur,
Seseque miscet illi,
Et in sinum beatae
Se proripit maritae.
Tum volucrum toto vagus aethere
Dulcis hymen hymenaee sonat chorus:

Pronubus exultat Zephyrus pater,
Syderaque aurata praeeunt face,
Et placidas caelum choreas agit,
Et domini praelucet amoribus,
Nuptaque in amplexum noua ducitur,
Sponsaque regales aperit senus,
Et varijs lasciuit amictibus,
Vtque suo placitura viro nitet.
Illinc flaua Ceres, & amabilis
Foemineus Bacchi refluit liquor.
Vuaque sub tremulis pendula palmitibus
Propter aquae dulcem luxuriat strepitum,
Quae pariat maestis gaudia pectoribus.
Tum vaga per tepidas exiliens latebras
Aetheris aurati filia, dulcis aqua
Garrula torrentem tentat iter per humum,
Arboribusque, suam, graminibusque, sitim
Sedat, & exiles soluitur in scatebras,
Vidimus horrendum caelo prodire cometen,`
Qua validas auriga leuis moderatur habenas
Lora regens axemque, polumque inuectus apertum
Lumina maioris turbatus conspicit Vrsae,
Quem licet armatus croceo qua fulgurat auro
Palluit Orion, trepidoque exterritus ensis
Excidit, ingentique animum reuocauit ab ausu.
'Regiae & fortes metuant tyrannis
Nulla priuatis populis minantur
Sydera, aut paruo pecudum magistro,

Parua non nouit polus; alta nutant,
Sorsque in occasum propriâ secunda
Mole dehiscit.'

Actvs qvartvs. Scena I.

SICARIVS. QVATVOR FVRIAE, INQVISITIO, ALECTO, MEGAERA, TISIPHONE.

I*Gnosce victo Roma: cor retro salit*
Fugamque versat intus. O sacerrimi
Tutela patris, votaque, & fides mea,
Et fibulati curiae sanctae patres,
Superatus adsto: victus, ignauus feror,
Mihique ceßi: pectus imbellis ferit
Tremor, quatitque: faedus, ignauus timor
Inuicta mentis maenia obsedit meae,
Et iam triumphum ducit: en victus trahor;
*Sed ante pugnam. Magne tot rerum vndiq*ue
Lustrator aether, cernis hanc tadam manum
In vota nostra? quodque bis senis vaga
Mens egit annis vna vt arguat dies?
Dubitamus anime? caeca consilia aduocas?
Hac hac eundum est. cernis, has cernis fores?
Haec te beatum referet, aut nullum via.
Iam perge, perge hac omen haud quaquam placet,
Ter hoc labantem limine offendi pedem:
'Recede rursus. haud capit periculum
Angustior mens. cede prohibenti deo'
Ignaue, demens, nisibusque impar tuis,
Pactoque tanto. cede age, gressum refer,

Haud solus ibis; dedecus comes tibi est,
Pudorque, sorsque aduersa, quaeque te diü
Foedo subegit dura paupertas iugo.
Quid agimus? haud si tota vis Mauortia,
Mucronibusque saeua districtis cohors
Vndam minetur hinc & hinc flammam mihi,
Et quicquid vsquam est; telaque in nostrum caput
Vibrata iam nunc impetu caeco ruant,
Premarque solus, spiritumque hunc hosticus
Cruore mersum tabido elidat furor;
Vsquam recedam. praeuius pes hic manet
Locoque fixus haeret: haud illum dei
Totusque retro mundus incumbens agat:
Non si trecenae membra diuellant rotae.
Gaude Philippe! dextera O ist haec mea
Quot te trophaeis vna victorem creat?
Inermis hostem magne rex fundis tuum.
Absensque vincis. Flamina, & vos O leues
Abite venti, dictaque & voces meas
Magno Philippo cedite, & rerum ducí,
Suspendat arma. praelij stat finis heic,
Belli supremum terminum haec claudit dies.
Quo voluor amens? vela mens impos tua
Lege, & furoris dirigas clauum tui.
Tun' ora vt illa & frontis augustae decus
Vultusque tantae conscius fraudis feras?
Nec victus ibis? linguaque & vocis via
Potentiori vincta torpebit metu?

Et inter ipsae facinus horrebunt manus?
Sudor trementes imbre pertentans graui
Dissoluit artus. iunge, iunge & hunc tuis
Batauîa titulis: victus accedo tibi.

AV.
Cessas Megaera sanguine vndantem sacro
In ora taedam vergere? & pectus ferum
Acherontis atro seminare toxico?

SI.
Pudet coruscos flammei Solis, pudet
Videre vultus. desere ingentem poli
Sol magne cursum, desere, aut terras ego
Victus relinquo. cernitis? retro ruit,
Trepidusque clarum polluit Titan diem,
Comamque circum nubilo inuoluit suam,
Et ora nostra deserit. mane, mane
Cedemus ipsi: quo moues? tuam tibi
Terram relinque Phoebe: nos Pontus feret
Et hoc scelestum saxa collident caput.

INQVISITIO, ALECTO
MEGAERA TISIPHONE. TROCHAEI.

I*N*.
Noctis ignaue propago pallidae Stygis deae,
Ite, turbidis lacerti squalleant serpentibus,
Et veneni si quid vsquam Colchos extremo sinu
Phasias regno scelestum victa cum mouit pedem
Palluit, vel Pontus audax: quicquid vmbrosae domus
Cerberus latrator ingens ore conceptum fero

Inuias ructans sub auras, magnus Alcidae labos
*Gutture horruit trifauci, viq*ue *conspexit diem.*
Quicquid Inous maritus mente deiectus sua
Herculis iussu nouercae, cum patris furtum pij'
Dactylos inter furentes, & Cabirorum choros
Tigridis fraenator Euan vagijsset: quicquid &
Teste furtim noctiluca feruidae stillant equae:
Saeua quicquidè sepulchris saga nocturnis legit;
Aridi bubonis ossa, & extaieiunae canis,
Et strigis iecur reuulsum, & pure conditum nouo
Faetidum bufonis inguen, & rubetarum canis,
Inter errores profanos mentis, & faedum scelus,
Et nefas, caedisque amorem, turbidasque lachrymas
Sanguine immistas recenti, languidisque luctibus
Et dolos, caecasque fraudes, aere versentur cauo.
Perfidum caput furentis mergite, & mentis viae
Horrido spument veneno, perque Echidnaeus furor
Intimas serpat medullas, & profunda pectoris.
Densioribus colubri sibilate nexibus.
O mei mei colubri, sibilo reconditum
Belgiae narrate funus. instat infelix dies,
Morsque prorumpens superbas tundit herois domos,
Vltimumque intentat ictum. Nescium sortis genus
*Gaudia ah inter dapesq*ue*, funus operitur suum.*

Scena II.

LOISA. NVTRIX

Q*Vis me solos procul hinc nutrix*
Vehat in saltus? antraque nullo

Peruia passu, vel desertas
Rupis latebras, inter querulos
Volucrum luctus? iuuat obsessum
Lachrymis nutrix pascere pectus.
Iuuat ingenti soluere nutrix
Fraena dolori. iuuat ignarae
Soluere nutrix vincula mentis.
Felix quisquis cognita luget;
Late tendit dolor ignotus.
Abit in lachrymas mens caeca suas,
Et congressus hominum dulces
Effugit. O quis
Mediae ereptam murmure turbae
Populos extra sistat & vrbes.
O quis donet, totos animi
Promere motus, aut ignotas
Cernere curas!

N.
Alumna, vanis obsequi doloribus,
Mentemque magni masculam cessa virí,
Animumque maestis prouocare lachrymis.
Qualis sonoris acta diu incudibus
Ferri rigentis massa, vel crudus chalybs,
Effossus alto desidi terrae sinu,
Venisque matris, multa quem frustra manus
Fabrûm fatigat, cum lacertorum graues
Surgunt in ictus; ille vi tutus sua
Lacesßit altos, & retundit impetus
Viresque cassas; post modo exili tamen

Domandus igne. talis herois viri
Mens alta, nullis quae labascit improbae
Sortis ruinis, aut loco cedit suo
Virtute noxa, viribusque, lachrymis
Vanisque cedit faeminarum questibus:
Inuictaque vnus pectora eneruat dolor
'Gemitusque sexus impotentis. lachrymae
Luctusque causa quilibet prior sua
Rationis expers, mentis irritatio est,
Obsoniumque lachrymarum; nam sibi
Nimis subinde vanus arridet dolor,
Seseque pascit, ipse dum fomes sibi est.'

LOIS.

Somnia nostros terrent visus
Atraque noctis (fallax vtinam)
Plerunque nouae nuncia curae
Sensibus imis ludit imago.
Vidi nutrix (flebile noctis
Procul omen eat) vidi nutrix
Maiora metu.
Rex astrorum luce renata
Tremulos noctis Clauserat ignes
Phosphorus, & me domitor curae
Victos somnus strinxerat artus,
Oculosque leui sopor occultè
Vinxerat vmbra:
Vidi trepidum maesta maritum,
Subiti largos distillantem
Sanguinis imbres; vidi attonitos

Seu vicinae necis aduentu
Tendere vultus. terque ingenti
Gemitu ducto concidit, inque
Pectore nostro late effusis
Proruit vlnis; Vltimaque (inquit)
Munera coniux, coniux coniux
Vltima nobis munera solue:
Trahor immensas retro coniux
Noctis ad vmbras; at tu vero
Crede sopori.
Sic effatus, procul aetherias
Fluxit in auras, somnusque simul.
Mihi cor gelido salit admonitu
Noctis amarae: curaque somni
Somno, Nutrix, longior ipso est.

Av.
Fidem sopori nescia asscribis tuo,
Noctisque fucum, & aemulos veri dolos
Alumna trepidas: somnij fallax parens
Spes est, metusque: sensibus deme hos tuis,
Excedet ille. Nauita exhorret fretum,
Venator imbrem: nocte vtrumque conditus
Vterque cernit, luce non credit tamen:
Dolumque noctis pura traducit dies:
Tibi mariti casta legitimi fides
Pererrat animum, coniugisque copulae
Amor süauem pectoris sedem tenet,
Semperque metuit: noxque succedens tuas
Et vmbra curas fraudibus versat suis,

Cum victa lenis membra decepit sopor,
Sensusque somno dulce liquefacti iacent.

Lois.

Quis nouus ille, vel quibus ille
Nutrix, Nutrix, vectus ab oris
Hospes nostram missus in aulam est?
Haud placet oris suspecta fides.
Nos domus intro, pignusque vocant.

Scena. III.

Sicarivs. Avriacvs. Armiger. Chorvs. Satellitvm.

S*Ic Sic eundem est; alterum chlamys latus,*
Sclopumque velat: alterum fraudi patet,
Fidemque facto praestat, & dolos tegit
Nihil tegendo: flammeis cor glandibus
Et igne totas pectoris rumpam vias,
Sedesque vitae. sensimus cassam fidem
Ferri scelesti: nuper effluxit sinu
Nisusque pene sica frustrata est meos.
Vtinam reuulsis viscerum radicibus
Liceat cadentis pectus etiamnum tremens,
Suisque vulsa è sedibus praecordia
Monstrare viuo, cernat vt partem suí,
Mortemque viuus discat infelix suam,
Pereatque saepe: vel calentes sanguine
Tractare venas, extaue obscenae cani

Lanianda ferro soluere, aut volucribus
Escam profanis; cura nunc duplex premit,
Necem tyranno molior, vitam mihi,
Perque alta praeceps vrbis erumpam vada,
Liquidamque forti corde transmittam viam.
*Vtinam ter ille, morte funesta, horrid*â,
Nouaque semper, ictibusque millibus
Fundendus esset. vna mors poenae parum est,
Nec digna nobis. O dies, O O dies,
O vna votis metaque & sinis meis;
Prompti subimus. debitum sacrum tibi
Votumque dudum, magne, Belgarum caput
Mactamus Alba. mente funestam iuuat
Versare caedem: bis iuuat, bis sanguine
Gaudere eodem: parua moriendi mora est;
Diu cogitando longior fiet tamen.
Crudelitatis tempus extendam meae,
Maiusque reddam. pectore ingenti exigam
Scelus futurum. Sic per vrgentem ferar
Populi coronam: sic satellitij minas,
Vultusque fallam: colla sic labens sua
Et palpitantes morte demittet manus:
Sic triste multa caede succumbet latus:
Sic imminente victus horrescet nece,
Toruusque totas pallor inuadet genas.
Adhuc moramur? trahimur, en pectus salit,
Notamque ceptis tesseram dedit meis.
Vocamur. euge: cura Diuorum sumus

Totumque votis annuit caelum meis.
En, ipse rara cinctus ingentem manu
Aulam relinquit, atriumque turbido
Inuadit ore, feruidisque greßibus,
Et sponte letho pronus occurrit suo.

AVR.
Dies diei cedit, atque annum nouus
Reducit annus, vltimusque saeculi
Finis, futuri primus est aeui gradus:
Voratque terram pontus immenso sinu,
Ingens Batauae continentis helluo.
At terra pontum rursus in sese trahit,
Vlcisciturque, & destinatas fluminum
Cano parenti praeuia exhaurit vias,
Praeoccupatque caeruli potum senis.
Sic cuncta sese lege nascendi premunt,
Pereuntque rursus, vt resurgant denuo:
Mutatque tempus cuncta, nil perdit tamen,
Semperque formas interim versat nouas,
Veteresque soluit, cunctaque vt pereant simul
Simul reseruat, cum tot annorum graui
Pressus ruina, rursus in sese labans
Dehiscet orbis, & superba machina
Magni quae in vlnis fixa requiescit poli
Reuulsa priscum diruetur in chaos:
Eritque rursum mundus ille, quod fuit
Cum nullus esset. Interim constans tamen
Natura solitas sedula retexit vias
Expers quietis, ocijque nescia,

Pensoque ìussas admouet semper manus,
Suetumque fusum voluit. Has inter vices
Quotacunque rerum, totiusque pars, Homo
Excelsa mente vota percurrit sua,
Morique trepidat, cuncta cum cernat tamen,
Sortemque solus discit, & nescit suam.
Idemque vitae sanguinisque prodigus,
Crudusque lethi machinator est sui.
Cumque imminentis tanta sit fati via,
Aditusque mille, mille pereundi modi,
Audaxque Pontus, terraque in nos & ferus
*Coniuret aether, flammaq*ue *& spumans aqua;*
Mors arte creuit: ingenique munera
In nos, & ipsas vertimus fati manus.
Quodcunque durus mille sub fornacibus
Fuliginosis, aeris excercet faber,
Neci paratur: Mille syluarum comae
Lethoque nostro vasta decrescunt iuga.
Illinc tot arma, telaque & magno graues
Emuntur enses: sternere haud gratis licet;
Preciosa mors est: cumque tot restent ferae,
*Tot monstraq*ue *hominem fundit infelix homo,*
Cedemque iactat, seque delegit neci,
Cum multa posset: placuit hoc vno sibi:
‘Factumque longa temporis propagine,
Nobis triumphus, quod fuit quondam scelus.’
Hac tege virtus effera armorum parens
Sese tuetur: talis ingentis soli

Fatalis ille subiugator & ducum
Altum Quirinus extulit terris caput,
Persesque Hydaspen, Bactraque, & saeuum Schyten
Rupemque falsi pendulam Promethëi
Prouectus olim, Caspiumque vltra mare,
Et fabulosis asperas Tirynthio
Bacchoque rupes, Hesperumque limitem,
Et parciorem terruit ferro diem.
Hac lege fortis quilibet semper fuit;
Vt saeuus esset. Hactenus tenui tamen
Grassata mors est saeua per terras via:
Per nos adaucta est: liberos morti sinus,
Et vela tota pandimus Belgae manu.
Prius irreperto, totque retro saeculis
Inusitato teximus lethum modo:
Dum fulminantis sulphure & flamma Dei
Imitamur ignes: pressus ingenti vapor
Caelum ruina terret, eliso globo
Mundus cavernas laxat, atque ingens humus
Circum pauoris conscia immensi tremit,
Populosque late verrit, & totum simul
Inuadit agmen parua quin etiam loquor;
Necantur vrbes, saxaque & moles deûm:
Nocetur orbi: totque nostra haec maenia
Euertit aetas, prisca quot fudit viros.

Loi.
Pudet fateri, pudet, at intremui tamen,
Nec lingua sequitur. deferor rursus Dei,
Et me reliqui. genua trepidanti labant,

Quotiesque gressum protuli, retrò feror.
Meliora volue: dicta modo constent tua,
Vultumque finge; tempus en ipsum iubet,
Locusque cunctas facilis excludit moras.
Agedum incipe, agedum. Longa nos tandem dies
Magnanime princeps (rursus in medio sonus
Defecit ore) Longa nos tandem dies
Magnanime princeps, patriam versus trahit:
At nunc fauoris obsides liceat tui
Mecum tabellas. Cecidit, en pronus labat.
Properemus, instat turba, nec reliquum sinit
Satellitum vis: pedibus hoc restat meis,

AVR.
O magne rerum genitor, en praeceps fluo,
Fluo, fluo, fluo, nec vlterius sinit
Mors ire uoci. O maxime memento pater
Populi, meique:

AM.
Pergite O comitum manus,
Pergite ah, ah pergite, ah ah pergite: en celer effluit,
Pergite ah furis scelesta persequi vestigia,
Ille postica cruentum saeuus emisit pedem,
Nos redundans sanguine atro triste fulcimus latus:

CHOR. SAT.
Properemus: hac pars vrgeat: pars hac ruat:
Pars tendat illhac: pars ad illa: pars ad haec:
At pars vtroque: parsque iuratos duces
Proceresque sistat: parsque ne lateat dolus
Circundet vrbem: parsque ne pateat via
Vsquam scelesto; rupta, deserta, aspera
Latebras. specusque, semitasque, & inuium
Scrutetur omne: ne quid occultum tegat,

Aut per prementes diffluat victor manus.

CHORVS.

H*Actenus magni domitor tyranni,*
Hactenus vasti dominus profundi
Nerëi rector Batauus, frementem
Subdidit vndam.
Ille vesanos Aquilonis imbres
Inter, & saeuas Boreae ruinas
Spumeum ridet mare, perque Iberum
Fertur & duras pariter procellas
Victor amborum: per vtramque, fati
Ille contemptor, rate tendit Arcton:
Patria angusta est nimis; impotenti
Sole torrentem populatur Indum
Publicus mundi pauor: ite reges,
Ille binarum dominus viarum est,
Caeruli fluctus equitator, ille
Turgidas inter nebulas, ferumque
Nascitur Austrum.
Vnda si rursus trepidumque castae
Saeculum Pyrrhae redeat, gravesque
Fluminum lapsus, celeresque fontes
Iupiter laxet ferus, & furentes
Soluat in imbres;
Tutus horrendas maris inter algas,
Inter & Protei pecus, horridasque
Eminens Phocas, & auara Cete,

Inter & blandas Thetidis sorores
Nabit optatas Batauus per vndas
Aemulus Glauci, patrijsque fiet
Incola ponti.
Patria huic tota est humus, est & aequor.
Patria huic nusquam est, & vbique, magni
Inquies mundi pera grator ille
Terminos rerum speculatur omnes,
*Cunctaq*ue *audendo subigit; periclo*
Altior omni
Vesperumque atrum premit, & superbi
Impetus regis, spoliumque, opesque
Illius praesens rapit, & beatas
Transuehit merces, medioque in hoste
Tutus ab illo est.
Pleiadum laetae praeeunt choreae,
Velaque aspectant, facilesque cursum
Dirigunt stellae, nimiumque mollem,
Nec parem magnis animo Batauis
Omnis astrorum chorus aureorum
Ridet Iberum
Peruigil noctu: quotiesque rursum
Luce demißis subeunt tenebris;
Praelia & pulsas referunt carinas:
Qualis immenso redeuns triumpho
Victor ingenti gelidum cruore
Strauerit VVorstus mare: qualis ante
Viderit flexos iterum Penates
Ire Lugdunum Patareia: quales

Aureau blandae volucres Diones
Mobiles olim tulerint tabellas
Consciae rerum, facilis ministrae,
Quas suo doctae precium camaenae
Mollium Dousae genitrix amorum
Miserat olim.
Totus arridet polus, & beati
Annuunt Diui, fremituque magnus
Dißilit aether.
Sed quid tumultu maenia ingenti tremunt,
Gemituque tota lachrymisque vrbs intonat?
Magnum minatur mutus & tacitus pauor,
Animumque terret cognitus nondum dolor.

Actvs. V.

LOISA. NVTRIX.

F*Ortes tyranni, & quisquis excelsa procul*
Euectus arce, sortis optatae sedes;
Securus esto: tristia, & fraudem, & dolum, &
Felicitati proximum quicquid mâli est
Nusquam timeto: restat vlterius nihil;
Fortuna vires fregit in nobis suas,
Nil seruat alijs: perdidi patrem semel,
At bis maritum: vidit eadem nos dies
Viduas & orbas: vidua nunc rursus feror:
Si possem & orba. relliquum est ipsi nihil
Sorti, vel in me. quid meos cohibes sinus?

Desiste nutrix. quid meos luctus vetas?
Desiste nutrix. quid meas premis manus?
Desiste nutrix. quantus est, quantus dolor
Qui incipere nescit! quid, quibusue lachrymis,
Quô, aut vnde primam luctibus sternam viam?
Ibo, Ibo nutrix, desine: ibo ibo, & ferar,
Vt siquid animae restet infelix sciam,
Amplectar artus, si quid, O si quid super
Experiar, ibo. desine ah nutrix, eo.

NVT.
'Alumna, primum pectoris motum rege,
Violentus ille est: surdus est primus dolor,
Caecusque & amens, ipse nec cedit sibi
Mox longiori cedet aetati tamen.'
Quid ah dolores tempori seruas tuos
Mox eluendos? ipsa quin aetas tibi es?
Quin ipsa longi temporis vicem subis
Et munus aeui, teque iam reddis tibi?

LO.
Desiste nutrix. cuncta nunc subeunt mala,
Veteresque curas suscitat recens dolor,
Desiste nutrix; noster exemplo caret
Paremque nescit nescit, aequalem dolor.
Tot dicta nutrix, cassa tot solatia
Vocesque tolle. desine, aut opem feras.
Reddas parentem, ne meum gemam virum,
Reddas maritum, ne meum gemam patrem.
Quid prisca refero? sufficit nunc vt gemam
Quod nunc peractum est. languor hoc nutrix mihi
Hoc illa mentis visa spondebant meae.

Nunc nempe credor. sera quam fides mihi est?
Properate famuli; cernite. an quicquam spei
Nobis relictum est? cernite. an vitae leuis
Modo restat aura? lapsa relliquias legam
Vitae fugacis, oreque os illud meo
Gelidasque tepidi pectoris latebras premam.
Permitte tantum. pallidis sed engenis
Germana maestos illius gressus refert.
Mens nosse casus ardet & refugit suos.
Agnosco vultus. loquitur infelix dolor,
Ille Ille sortis mutus est index meae.
Deficio nutrix corpus infelix humi
Lapsum, dehiscit, mensque sub tenebris latet
Vtinam aeuiternis. caeca nox oritur mihi
Sequimur marite.

NVTR.
Concidit. dolor sibi
Incumbit ipsi. perdidit vires suas
Mens cum marito. Alumna, quid praeceps abis?
Alumna mentem recipe & extollas tuam.

CHOR.
Quid maesta luctu deficis princeps tuo?
Lugere nostrum est: munus haud recté meum
Praeoccupasti: munus inuadis meum.
Tibi maritus occidit; princeps mihi:
Plebeius iste luctus est, virum gemis
Commune nomen: nomen hoc vulgo patet.
Quaecunque noctem pura dispellit dies,
Flauamque Solis explicat magni comam,
Virum maritae demit, & natae patrem:
Viduus, vel orbus, quisquis est, sortem gemit;

At inter omnes: occidit princeps mihi.
Quod nomen illi luctui inueniet dolor!
Quis luctus ah est ille qui dici nequit?
Ah ah ah ah.
‘O quam vario Turbine pessum
Gloria rerum sublimis abit?
Nempe insidiae, frausque, dolique
Sunt excelsae nomina sortis:
Lare priuati nequit exiguo
Fortuna parens varium tuto
Voluere fusum.
Nimium magnae domui semper
Proxima, nulla est.’
Hei mihi quantos aethere vectus
Circum iugales Phoebus auratos agens
Casus tuetur, quotque scelerum nomina,
Dolosque caelo spectat, & fraudes suo,
Seram priusquam condat occumbens facem!
At nos profundas credimus solem tamen
Ferri sub vndas: ille nostris fraudibus
Contaminatum diluit Ponto caput,
Vultusque terris surripit lubens suos.
Hinc ille puras fluctibus mergens comas
Rubore circum fulgurat tinctus nouo:
Pudor ille nostri est: cernite aspectum Dei,
Pudibundus ille semper è terris abit.

LIBERTAS. SAVCIA

T*Ellus & aequor, languidique fluminum*
Cursus & amnes: quique per Batauos pater
Trepidante multus Rhene prorumpis vado,
Vndas ministra. tuque qui terras tegis,
Magnoque maestus incubas aër solo;
Pluuijs perennes tristibus laxa sinus:
Lachrymis egemus. lachrymas caelum tuas
Adiunge nostris. vndique in nubes eas,
Incumbe terris. ipsa quin etiam tua
Duplicanda nox est: occidunt soles duo,
Tuus meusque: longa nox terras premat,
Vicesque solitas perdat infelix dies,
Facinusque condat. Hactenus malum tamen
Lugere potuit quisquis aspexit suum,
Intraque luctus constitit metas dolor,
Ah ah ah ah.
Maiora geminus: nomen exceßit dolor
Lachrymasque nostras, fletus haud noster sat est,
Lugendus ipso maior est luctu dolor;
Minorque merito. digna quis luctu queat?
Moriuntur omnes: funere illius iacent
Quoscunque tangit: Funus est quisquis videt,
Et funus vrbs est: publicum funus iacet
Ah ah ah ah.

L.
Spectate ciues: quisquis haud didicit mori

Hoc teste discat. illa maiestas viri
Dictumque Marti pectus, atque horror soli
Ingens Iberi, cuius occursum ferae
Tremuere gentes, cuius inuictam manum
Grudij feroces, concidit iacet, iacet.
Adeste ciues: lachrymas iuro meas,
Et illud atra caede transmissum latus;
Inuictus ille est: saeua nec mors id negat,
Ipsumque lethum fraude superandum, docet
Nequijsse vinci. talis immanis Phrygum
Metus Ilijque, Troia quem nutans decem
Tremuit per annos, vltimus Priami gener
Sed iam sepultus: ille qui toruum Hectora
Potuisse vinci docuit, & mori simul;
Helenes mariti victima infelix iacet.
Talisque & alter ille Danaorum pauor,
Spoliator Asiae, ductor Argiuae manus
Adultero seruatus & taedae suae,
Intactus alijs, fraude superatus fuit:
Sed post trumphum: concidit victor domi
Bello superstes. Funus hoc funus iacet,
Fateor Philippe, dextera scurrae tamen;
'Non potuit aliâ, teque vincendo male
Victum fateris. proh dolor, proh proh dolor.'
Ah ah ah ah,
'Priuata lachrymis damna defleri queunt,
At cum ruina totius quisquis iacet
Gemendus illi est: integer vires suas'

Expromat orbis, concidit, iacet, iacet.
Ah ah ah ah.
Ingens cauernis mundus euulsis fremat,
Gemitumque reddat. tuque, tuque O fulminis
Potentioris magne librator Deus
Percurre vastas aetheris tonitru fores;
Condi minore moenia tantus nequit.
Haec tuba sepulto praeeat, immanem polo
Quae eiecit Otum, quaeque flammarum patres
Rursus parenti reddit caesos suae
Titanas olim. Vesper extremus tremat,
Ruptoque videat orbe quod fecit nefas,
Ah ah ah ah.
At vos Batauûm corda, gens Neptunia
Obnubite atris hinc & hinc amictibus
Vrbem domosque: tota ferales gerat
Natura cultus, luctui angusta est nimis
Humana turba: si quis armorum comes
Ostro superbum cornipes tollit caput
Velamine atrum flebili radat solum:
Lugere non sat tota gens hominum sumus,
Accedat alter lachrymis nostris dolor.
Ah ah ah ah.
Adeste ciues: patriae fulcrum iacet
Sopore tristi victus, O fatum, O dolor
Haec illa sedes mentis, hoc illud caput
Prudentiarum viua, dum vixit, domus,
Excesßit, abijt: restat illius nihil

Nisi auferendum, nil nisi abdendum solo.
Effodite tumulum, qui sit ambobus satis:
Tumulanda ciues patria, & patriae est pater.
Heu heu, heu heu.
Efferte funus. Praefica est magno duci
Natura rerum: funus hoc parui nihil
Admittit in se: scilicet princeps Dei
Iacet: vniuerso nomen illud nascitur
Aequale mundo. Sequitur & retrò venit
Oceanus atra flebile redundans aquâ,
Terramque pulsat tristis, & lachrymas agit,
Vt ante spumas. Sydera, & caeli vagum
Comitetur agmen, pompa feralis veni
Stellae minores. tuque qui caelum secas
Niueoque parum lacte distinguis polum
Aurate trames, caerula Heroum domus,
Genijsque magnûm destinate principum
Dimitte ciues cras recepturus tuos;
Hodie vacabis: igneae caelum faces
Rellinquite omnes: Hesperus maneat tamen,
Scelus execrandum querimur Hesperij soli.
Heu heu heu heu.
Tuque igneorum magne signorum Leo
Regnatur, O qui flammeo motu minax
Chelas rapaces propter, & rictus feros
Horrentis Hydrae caede viuacis sua
Emergis altas igne vestitus iubas;
Defende nostrum: latius toruos polo

Protende vultus: O inauditum prius;
Leo Batauus tremuit, & fugam parat!
Heu heu heu heu.
Tuque a Tonante passa stuprum, at faemina,
Lycaone prognata, descendas licet,
Nostroque longam Nereo sedes sitim,
Et pellicatus eluas sordes tui,
Vt pura venias: si lubet, natum trahe;
Vel cum sagittis: nulla fraus maior potest
Nobis timeri, concidit, iacet, iacet
Cüi cauere nostra consueuit fides.
Heu heu heu heu.
At tu Boote plaustra tantisper tua;
Solitumque cursum cohibe, & in terras eas,
Mox axe funus illud extollas tuo,
Diuisque fraudes omnibus monstra nouas,
Artemque Iberam. tuque vocalis lyra
Fidibus remißis carmen infelix sona,
Tuumque cantu demereri denuo
Delphina discas, iungat vt latus tibi,
Neptuniosque transuebat dorso choros
In iusta nostra. tuque qui consors lyrae
Illustre caeli Cygne praetentas iter,
Nixusque in alas aureo emergis polo;
Fatale triste voce moduleris melos:
Sed quale ripis flebilis Caystrijs
Tepidis in vndis morte vicina sonat,
Lateque canta; concidit, iacet iacet,

Cor Illud orbis, magna Belgarum salus.
Heu heu heu heu.
Adeste ciues. quis feretro huic graues
Supponet humeros? ponderi quis par erit
Molique tantae? sidera haud vltra moror.
Namque ille caelum qui labantis in modum,
Similisque fesso magnus Alcides tenet
Totus remisso lapsus occumbet genu.
At tu pudicae magne Pleïones nepos,
Tegeatice ales: inter errantes globos,
Interque Diuos, inferosque, qui subis
Totidem labores; huc auum sistas tuum,
Illum potentes caelifer qui sustinet
Defessus axes: mundus interea licet,
Totumque ruptis postibus caelum ruat.
Nihil moramur. concidit, iacet, iacet
Ille orbis ingens splendor, O fatum, O Dei,
Heu heu heu heu.
Spectate ciues: pileum hic linquo meum
Iuxta cadauer illud, vt sacras procul
Secum sub vmbras ille qui dedit ferat.
Quin & capillum verticis messem mei
Quem tum totondi, rasa cum primum coma
Solenne sortis munus addecuit meae,
Mando sepulto. crinibus totum meis
Vestire circum corpus infelix iuuat,
Ah funus illud, funus illud O Dei.
Nunc hoc fauoris munus extremum ferat,

Quin me quoque ipsam; perdita a vobis eo
Proscripta ciues, exul à vobis eo.
Valete ciues, sancta libertas abit.
Spes nostra cecidit, concidit, iacet, iacet,
Heu heu heu heu.
Quo me immerentem mittitis Dj? quo ferar?
Gressumue referam? Sarmatarum vltra niues
Tanaimque & Istrum, vel remotas horridi
Boreae pruinas? quo nec humanum gelu
Indulget adytum, nec pedum vestigia
Hominumue passus Schyticus admittit rigor?
Heu heu heu heu.
Inter cauernas, vel ferarum tristia
Spelea vultus obruam terra meos.
Pertaedet hominum; perfidam fraudem & nefas,
Tristeisque caedes cernere haud vltra queo.
'Valete terrae. tot truces inter feras
Lupasque, & vrsas, & graues minacium
Iras leonum, & ora toruorum boum
Nil terra domino tristius gerit suo.
Homo omne monstrum est: ille nam celat feras
Quotquot timentur, ille crudeles leas
Lupasque & vrsas, pectore obscuro tegit.'
Valete ciues, sancta libertas abit,
Abiuit ille, quem videtis hic tamen,
Abiuit ille, praeuium è terris sequor.
Valete ciues. sancta libertas abit.
Heu heu heu heu.

FINIS

I

Princeps Mavritivs Lvgdvno Redvx

BATAVA tellus, coeruli sedes DEI,
In hoc vocamur? una spem dies tibi,
Nobis parentem sustulit. felix cui
Luctum fateri lachrymis licet suum.
Cum patre nobis tollit & luctum DEVS.
‘Lachrymare magnus nescit Herois vigor,
Nec illud altum nomen in pectus cadit:
Lachrymare nescit, quisquis ulcisci potest.’
Lugete cives. quisquis hoc funus gemit
Mecum orbus ille est. iungit hic omnes dolor.
Lugete cives. magna me fixum tenet
Moles iuventae. Vos dolis, vos perfidar
Crudelitati, fraudibusque: ego meis
Indignor annis. Magne terrarum parens
Cur tarda lento pergit Heroum gradu
Aetas, nec ipsam protenus metam tenent
‘Anni morantes? O DEVS, serò nimis
Quicunque Divi nascimur, viri sumus!’
At tu citatum Diva quo moves gradum?
Quid Diva nostrum profuga destituis solum?
Per hunc paternum sanguinem, numen meum,

Fraudemque, qua*m* non tempus, aut anni graves,
E pectore illo, non profunda saecula, aut
Oblivionis genitor evellet dies;
O Diva, siste Diva, nec parvas manus
Aut hos lacertos sperne; magnus incola
Virtutis autor igneae hîc habitat DEVS,
Pectusque pulsat hoc, & invitus suis
Latet sub annis, saeculumque despicit.
At vos Parentis inclyti Manes mei,
Tuque vmbra, quae per aureas DEÛM vias
Orbemque nostris invium pedibus volas;
Divis Paternis dic, & Heroae manu,
Nassovijsque, civibus poli, Deis
Avoque magno, cuius ausa regia
Idemque nomen indolem vocat meam;
Spectet nepotem Genitor, & nostris adhuc
Ignoscat annis. Tuque pacatus precor
Tantisper esto, redditus donec mihi
Victor Batavâ Vespersum invadam trabe,
Manesque Iberâ caede satiabo tuos.

Finis.

Pag. 65. post illa: *curaque somni Somno, Nutrix, longior ipso est.* inserantur haec.

TALIS, ad vndas cum, Scaldi, tuas
Propè fatali concidit ictu,
Horrida multo sanguine, Nutrix,
Sustulit ora.
Quid tamen haec nunc iterum, Divi,
Cura recursat?
Ite sinistrae nubila mentis.
Felix modicos quisquis sentit
Pectore motus! felix placidi
Rector aratri, felix teneri
Dux armenti. Viridi tutus
Ille sub umbrâ tepidos halat
Pectore somnos: lassior illic.
Videt aequa suae somnia vitae.
Et modò dulces amittit oves,
Modò surreptam pallet avenam.
Haec domus illi,
Totaque res est.
‘Felix quisquis tenuis tranat
Tempora vitae!
Felix quisquis modico sortem
Fallit agello!
Felix quisquis mediae fallit
Agmine turbae!
Numeroque latet tutus in ipso.’

In colvmbas Lvgdvni vltro citroqve missas in obsidione, quarum in Tragoediâ nostrâ fit mentio.

PERFIDVS *ingentem vesano milite Leydam*
Cinxerat, & vasto robore miles Iber.
Terra, salumque, inquit, mea sunt: via nulla salutis:
Nulla patet puppi semita, nulla viro.
DOVSA *meus, medio, spe libertatis, in hoste*
Liber, & inuicto pectore tutus erat.
Ille, Polus (dixit) domini est immunis Iberi,
Et tua sola mihi, Iupiter, aula vacat.
Hinc quoque fas nobis patriae sperare salutem:
Ille mihi Minos hàc fugiendus erit.
Quò patriae non tendit amor? mandata referre
Postquam hominem nequijt mittere, misit auem.

Ipsas autem literas pennis columbarum inclusas, ad Nobilisimum & Amplissimum IANVM DOVSAM, patronum nostrum vnicè colendum datas, domi ipsius vidimus, cùm apud eum aliquandò diverteremus.

Διονυσ□ τω αριστω και μαρωνι τ□ φιλοποτ□ τοιν της εναγωνιου τραγωδιας επισταταιν.

Λῦτο δ' ἀγῶν Διόνυσε· Μάρων φίλε σοι δὲ μελήσει
Σῶμα περ ἀργαλέῳ γήραϊ τειρομένῳ
Στήσασθαι κρητῆρα βεβυσμένον ἡδέος ὄνου
Βακχιάδος γλυκερῆς ἔγκυον ἐυφροσύνησ·
Νοννιακῆς οἷον πάλαι ἐν σελίδεσσι πέπωκας
Αμφὶ τάφον φίλου σευόμενος Σταφύλου.
Ου τράγου ἐυπῶγωνος ἐμοὶ μέλει, οὐ μὰ δι' οὐδὲν,
Λάτρις ἐγὼ Μουσῶν· τὶ τράγε σοι καὶ ἐμοι;
Μοι τραγικοῦ περ ἀγῶνος ἀέθλια πινέμεν εἴη,
Εκ δὲ πιὸντ' ἱεραῖς μαρνάμεναι λατάγαις.
Γυμνασίῳ Βρομίοιο τάδε πρέπε· σὺν γὰρ ἀέθλῳ
Αυσαμένῳ πᾶσαν φροντίδα λυσάμεθα.
Τ' ἄλλα σοι οὖν ἀφίημι πάτερ· διψῶν γὰρ ἐγώ τοι
Οὐ τράγον, ἀλλὰ μόνους φίλ' ἄγαμαι βατράχους.

Δανιηλ Ἔινσιος.

Nobilissimo, Amplissimo, Clarissimoqve Viro Iano Dovsae

Domino in Noortwyck.

NVPERRIME cum apud nostru coenarem Nobilissime Domine, ille vt semper de communibus Musis agit, schedam mihi quandam tradit de Batauiae vestrae Mirandis, in quâ obiter cadem commemorata erant, eodemque ordine quo hic vides. Petijt antem vt ipse Latino carmine ea complecterer; se quoque argumentum idem tractaturum. Ego, cum cogitatem quanto cum fructu meo semper ab eo victus fuerim, parui imperatori meo, vt gregarium militum aequum est. Ille quoque idem praestitit, seu potius praeiuit, & vt hunc veternum meum excuteret, vtraque linguâ a se conscripta mihi tradidit. Volui autem, quòd de Batauiâ vestra in Tragoediâ meâ multa occurrant, hic potissimum legi, tibique illa mittere quoniam & ipse magnus ille vir sermonem ad te direxit Dousa Nobilissime. Ego autem cum omnia in diuino illo literaru*m* Monarcha mirari soleam, tum maxime tam prompta*m* hac senectâ aetate venam, praecipueque in poësi Graecâ, in quà, fateor nullum ne inter veteres quide*m* esse, qui palmam prae illo ferre possit. Ille quotiescunq*ue* me videt (quod fit quotidie) lacessam te inquit mi Heinsi, accum dicto Martialem arripit ac epigramma aliquod in Graecum sermone*m* conuertendum proponit mihi, idemque agit ipse: ita fit vt & sua tradat mihi, & pro eis recipiat mea, reuera χρύσεα χαλκείων. Noui atuem, ego quanto cum fructu meo illi cedam: vt magis è re victi id sit, quam vincentis. Interim te ac quicu*m*que haec lecturus est obtestor, Dousa Nobilissime, te per domesticam, ubique propriam Deam Humanitatem, quae cum eruditione coniuncta, virum magnum ac generosum perficit. per Musas omnes & sacra nostra: ne ostentandi. aut gloriolae captandae gratiâ, mea cum ipsius me iunxisse existimes, sed excercitij tantum. Scio enim ne ipsis quidem gigantibus τὸ θεομαχεῖν bene successisse. Vale nobilissime Domine, & Hesiodum nostrum, cum quinque Graecis interpretibus sub nomine tuo breui (vt spero) edendum, expecta.

De mirandis Batauiae.

Ignorata tuae referam miracula terrae
Dousa, peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanitium hic lassat textrina Mineruae.
Lanigeros tamen hinc scimus abesse greges.
Non capiunt operas fabriles oppida vestra.
Nulla fabris tamen haec ligna ministrat humus.
Horrea triticeae rumpunt hic frugis acerui.
Pascuus hic tamen est, non Cerealis ager.
Hic numerosa meri stipantur dolia cellis.
Quae vineta colat nulla putator habit.
Hic nulla, aut certè seges est rarißima lini.
Linifici tamen est copia maior vbi?
Hic me dijs habitamus aquis. quis credere poßit?
Et tamen hic nullae Dousa bibuntur aquae.

Idem Graece.

ΥΜετέρης ἐρέω νηπευ θέα θαύματα γαίης,
Δουσιάδη, δύσπιστ' ἀλλοδαποῖς ἀΐειν
Ενταῦθ' οὐκ ἀρκοῦσ' ἐρίοις ἱστῶνες Αθήνης.
Πῶϋ δὲ φροῦδον ἅπαν ἐιροπόκων ὀΐων.
Ἄστεα χειροβίους οὐ χωρεῖ τέκτονας ἄνδρας.
Εργασίμης δ' ὕλης ἐστ' ἀχόρηγον ἔδος.
Σιτοδόκους πυροῦ σωροὶ ῥηγνῆσι καλιὰς.
Βούβοτος ἡ γαίη δ' οὐ φιλοπυρος ἔφυ.
Ἅπλετοι ὦδ' ὄινοιο νενασμέναι ἐισο πιθάχναι.
Οὐδενὸς ὀινοπέδου δ' ἐστὶ φυτηκομίη.
Ουδαμὸς ἥ σπάνιος τῇδε σπόρος ἐστὶ λίνοιο.
Ποῦ ποτὲ δ' ἐισὶ λίνου πλείονες ἐργασίαι;
Οικίαι ἐισὶ μέσοισιν ἐν ὕδασιν τίς κε πίθοιτο;
Υδροποτεῖ δ' οὐδεὶς ἐνθάδε Δουσίαδη.

IOSEPHVS SCALIGER
IVLII CAESARIS F.

De ijsdem.

Dousa faue: in vestris quaedam mihi visa Batauis
Pauca quidem mens est dicere, vera tamen.
Omnia Palladiae complerunt oppida lanae
Laniferas hic quis pectere discit oues?
Plurima cum fabris fabrilis copia ligni est;
Ligna tamen vobis omnia, terra negat.
Plus cereris nusquam est: nusquam paene educat illam
Terra parens bubus officiosa suis.
Dolia sunt hic Bacche tui plena omnia, suntque
Plurima, cum desit vinea, vina tamen.
Nullaque gignendis lassantur pascua linis,
Linificas lassant hic tamen illa manus.
Tantalidae nos Dousa sumus: circumdamur vnda,
Et tamen hanc tantas quis bibit inter aquas?

Idem Graece.

Ιλαθι Δουσιάδη, τὰ τεῶν μεμάθηκα Βαταύων
Παῦρα, λίην δὲ γέρω θαύμασιν ἐιδόμενα.
Ειρεα μὲν πασυς σφίσιν ἐπλήρωσε πόληας
Ειρο πόκους δ' ὑμῶν τὶς κομέει ὀίας;
Ξυλόπονοι πέλον ἄνδρες ἀπειρέσιοι, ξύλατ' ὧδε.
Αξυλον ἀυτὰρ ὅλον σφιν γέγονεν πεδίον.
Ουδαμόθι πλεῖον Δημήτερος.
Ετρεφε γῆ, βουσὶν πλεῖστα, χαριζομένη.
Πας δὲ πίθος Δίονυσε σέθεν γέμε· πολλοὶ ἔασιν
Αμπελινοὶ καρποὶ, ἄμπελος οὐδεμίη.
Ουδὲ λίνοις ἁπαλοῖσι καταβρίθουσιν ἄρουραι·
Τὰς δὲ λίνα πλήθει χειροβίων παλάμας.
Ιανταλικὸν γένος ἐσμὲν, ἐπεὶ ποταμοῖς στεφόμεσθα.
Τις δὲ τόσων γεύει Δουσιάδη ποταμῶν;

DANIEL HEINSIVS.

Danielis Heinsii Iambi partim morales, partim ad amicos, partim amicorvm Cavsa scripti.

In Divinos Danielis Heinsii Iambos.

Petri Scriverii Scazontes.

AMICE magne, ô insolens CABALLINI
Potor fluenti, Musicique concessûs
Dictator HEINSI; quò rapis tui plenos
Lepore? quas nos ducis in specus FRATER?
Iamdîu COTHVRNVM vidimus SOPHOCLEVM,
O non inane cymbalon TRAGOEDORVM!
Nunc nos quid istis (nam fatebimur verum:)
Inusitatis cogis emori IAMBIS?
En qui solebat impigro celer passu
Ad te venire IAMBVS, iste nunc jurat
(Misellus heu!) se CLAVDICARE vix posse.
Placet, Poëta, hoc ergò? pro Tribunali
Sedere te plorantibus MAGISTELLIS!
Hîcque è Curuli carmen ad Iuuentutem
Referre sanum, vividumque! Nos verò
Blennos, ineptos, perperos, Poëtastros
Iacére mancos cruribusque praefractis!
Feramus, ô, feramus: osque ROMANI
Sermonis istud Atticique discamus
Optare cunctos, impetrare felices.

Prosopopoeia amplissimi Clarissimiqve viri Claudij Puteani, senatoris regii.

O *Qui coruscum diuidis vultu diem*
Ingens serènae lucis arbiter Vale,
Vxorque curis vna solamen meis
Consors thorique patriaeque, quae meum
Faecunda blando germine auxisti genus,
Cingens pudico tecta patris agmine.
Et vos meorum turba parua liberûm
Imago viua, parsque dulcior mei,
Ah ora blanda, vultibus vultus meis,
Patrique dulces iungite extremùm manus:
Haec sola restant. Testor immiteis Deas,
Mortemque nostris terminum extremum malis,
Solemque vitae fulgidum testem meae,
Caelique iunctas semper ardentis faceis,
Neruisque pondus Galliae incumbens meis,
Lareisque dulceis, queis puer gaudens ego
Productus hausi principem vitae diem,
Curaeque lusi nescius; vixi satis
Laudi, mihique; patriae tamen parum,
Vobisque nati: patria infelix trahit,
Et ora vestra, vestra, quae mortem iubent
Gratam vereri. Dum tamen puertiae

Aetas serenos dulcis admittit dies,
Nihilque scire dulcior scientia est;
Spei, metusque viuite immunes, procul
Extra superbas casuum tuti vices
Ignara turba, matris inter oscula:
Lusuque mentem, mollibusque gaudijs
Maestae parentis spes relicta pascite:
Donec per annos cura succedens suos
Foriue tristis ardor, aut feri labor
Mauortis acres poscit in bellum manus:
Heic patris este: caeterum matri lubens
Tempus relinquo: donec impotens sui
Inter suaues vita voluitur iocos,
Interque ludos errat, & crepundia
Innoxia aetas, gaudijs fauens suis,
Paruoque laeta mobili exultat pede.
Viros reposco: Seria aetatem decent
Me digna quae sit: vindicat sibi hanc pater.
Hanc illa nostra vita in exemplum trahat,
Vehatque in alta rerum, & ingentes sinus,
Motusque vastos patriae curas meae.
Virûmque in ora tendat, & ciuilibus
Fraenare pergat patriam ardentem malis,
Caecasque legum peruagarier vias
Erectus alti pectoris discat vigor.
'Ah quot per alta Syrtium discrimina
Emetiendum, saxaque alta, restat hoc
Quodcunque vitae est! Gallia infelix docet'

Vel omnium instar: ipse fortunae iocus
Gens illa nostra est, casuumque lusibus
Submittit acres patria infelix manus.
Hic pontus ergò, turbidum hoc vobis mare
Gens blanda restat, horridi per aequoris
Has fluctuantes flamine aduerso vias
Enauigandum est, quaque publicum mare
Rerumque feruet vnda: me portus tenet:
Legitque nostrae saeua, vela, mors ratis,
Extraque curas, ciuicasque in arduum
Sistit procellas. Patria aeternum vale
Dulcesque nati: blanda me quies vocat,
Auisque sanctam patribusque molliter
'Mentem refundo. Scilicet, quantum est Deus
Interque vitae munia, & fluctus vagos
Duxisse castos, noxijs procul, dies,
Doloque puras tollere ad caelum manus
Mauortis altos niter impetus; neque
Contagiosâ temporum premi lue!
O Vita vita, noxios cautes tegis!
Symphlegadesque mille labentem trahunt
Et hinc & inde, lucraque incautum ferunt
Aetatis orbem, peruicaxque auri furor,
Vanumque Honoris nomen, & Potentiae.'
Ignosce fasso patria, ah beatius
Priuata paruos inter exigit lares
Annos süaueis vita, & exilem domum,
Interque vultus coniugisque, & aurea

Senescit ora liberorum; spesque ouans
Gaudensque semper terminat tecto suas.
Non ille vastas regis exhorret minas,
Aulaeque fluxam pallidus gemit fidem,
Lutetiaeque semper vndantes vias
Turba clientum cernit, & vanas opes,
Interque natos tutior regnat suos,
Securus, insons, innocensque, supputat
Annos aristis ille, solibus dies.
Idemque seruit, & beatus imperat,
Magnumque nescit: terminus voti & viae
Agellus illi est, paruulumque rusculum,
Focoque diues suscitat, paruum larem,
Motusque scaeuos ridet, & rerum vices,
Sortisque lentum fulminantis impetum,
Thoro, casaque tutus arcet, & procul
Lasciuienti cedit abditus deae:
Aetasque curas inter effluit suas;
Vicina nescit: nocte pacatus iacet,
Soporque fessas mitior fouet genas.
At nos parentum celsa per vestigia
Fastidiosus purpurae afflauit decor,
Regnique habenis destinauit inclutam
Virtute mentem, patriaeque fluctibus.
Vidi cruentas caede regia vias,
Versasque & in se Galliae ardentis manus,
Ingensque rerum pars labantium fui,
Nec cura fallax pestilensue munerum

Virtutis alta nube suppreßit diem,
Immobilemque motui infixi pedem,
Mentisque nixus robore excelsae steti
Inter procellas, vorticesque. Nil tibi
Fortuna mecum est: inter immanem fori
Horrentis aestum, & ciuium molimina,
Et execrandum factionis impetum,
Vocesque, & atram carceris caeci luem;
Integra semper pectoris magni fides,
Legumque sanctus cedere inscius rigor
Immotus haesit: cum ferâ plebes manu
Discordiarum vindicem oppreßit Togam.
Idemque, fausta gentis inter omina,
Velo secunda sorte subduxi pedem,
'Licentiaeque terminos. illustrior
Peccare laus est nolle, cum poßis tamen.'
Et nunc suprema, tritaque omnibus via
Eunda: & ingens semita è terris vocat
Iterque magnum: jam soluta denique
Humanitatis vinculo, in sese labat
Pars quassa nostri, tollimurque: & heu prius
Mors ipsa nobis quam senectus appetit,
Cursumque rumpit. Viximus tamen: neque
Frustra, (Paterna testor arua, & te deus
Ducemque vitae principemque) luminis
Hausi süaue munus, aut vitae diem.
'O mors, quot ah quot casibusque, & asperis
Discenda curis grata vix tamen venis!'

Naturaque vltro gaudet, inuisam licet
Seruare lucem, corporisque onus sui
Sublimis altae mentis affectat nitor,
Premique gaudet. Ibimus tamen, tamen,
Et vos lacerti coniugis dulces meae,
Lenisque vitae deserenda semita est:
Castique amoris arbitrum linquo thorum
In his superstes liberis, vnusque eo
Plures relinquo: Faenus hoc rerum parens
Indulsit vxor: haec tibi solatia,
Viuaeque restant, patris amißi notae.
Quotiesque dulces osculo premis genas
Patris memento, postque basium tuum
Adiunge nostrum, lachrymamque molliter
Distilla amoris pristinum testem mei.
Et nunc, domusque tota, curaque omnium
Reclinat in te: Liberorum grex tener
Ah patre dulci destitutus, vnicam
Te spectat, eheu, vultibusque haeret tuis,
Opemque poscit: mater ah olim modo;
At nunc vtrumque es: omne discedens pater
Transcribit in te: spem sine hanc tui feram
O dulcis vxor, lenius mortisque onus
Subibo, & aequas omnibus Fati manus,
Nostrique amoris mutuam memor fidem
Mecum sub vmbras duco. Iam vale, vale,
Me longa tandem noctis inuoluit quies,
Somnusque blandam ferreus negat diem

Auremque vellit: Teque mors lubens sequor
O summa rerum, seraque optanti venis,
Didicique quondam millibus mori malis:
At nunc docebo: spiritumque, & igneae
Caelum reposcit mentis ardorem meae.
Debemur illi scilicet pridem, neque
Ignotus hasce creditor premit fores,
Depôsta reddo, mutuumque: nec mihi
Mutanda vita restat; at vitae locus.
'Quisquis prementeis mortis exhorret manus
Gemensque terram deserit, caelum timet.'

Εις τον αυτον.

ΚΕκρύφθαι ὅστις τῇδε Κλαύδιον δοκεῖ
Τὸν φημὶ δεινὴν μωρίαν ὀφλισκάνειν.
Ου Κλαύδιος μὰν, τοῖο δὲ νεκρὸς μόνον,
Ὅσοντε χεῖρε χωρέειν ὀστῶν μέρος
Χθονὸς βαθείης κεύθεται ἐν ἀγκαλῃς·
Ως καὶ πάρος περ ἐν μέλεσσι· παντὶ γὰρ
'Ζωόντι σῶμα σῆμα, καὶ τάφος πέλει.
Βέβηκε τ' ἄλλα ξεῖν'. ἰὼν δὲ τ' ούμπαλιν'
Μέμνησο θείου ὢν ἄποικος οὐρανοῦ,
Θεοῦ τ' ἀπορρώξ φέγγεος πάλαι γεγὼς.
Ὅρῶ γὰρ ἡμᾶς ἐνθάδ' οὐδὲν ἄλλο, πλὴν
Πηλοῦ τε μοῖραν καὶ θεοῦ πεφυκότας.'

In evndem

Vnà cum parentibus sepultum.

Hic tumulus tres vnus habet. ter vina Viator,
Vnique ter flores sere:
Treis quos vnus amor tenuit, tenet vna sepultos
Tellus, breuique vinculo,
Amplexuque leui pariles amplectitur artus.
Ah cum parentibus suis
Claudius hic ingens ingenti clauditur vrnâ,
Togaeque purpuraeque honos.
Qui Regis cor dulce fuit, qui dexteram regni.
Tuique pars o Gallia.
Mitis amor blandis placidè sic iunxit amicis.
O dulce faedus! en iacet
In tumulo matris, iacuit qui matris in aluo:
In matre viuus, cumque matre mortuus.

In annales nobilissimi et Amplissimi Herois

Iani Dousae.

L*Eges sepulchri, caecaque annorum via,*
*Voraxq*ue *rerum tempus, & vanae vices,*
Tuque impotentis vis superba saeculi,
Nouerca magnae saeua virtutis; tuas
Vltrò lacesßit pectore aduersio minas
Sublimis ille Dousicae lucis vigor,
Cognataque alto mens polo, nec improba
Aeui fugacis impedita compede.

At vos edaces temporis magni patres
Anni, Diesque, quaeque paßibus citis
Horae beatas panditis Diuûm fores.
Tuque ignei rex & viator aetheris
Sacraeque lucis prome conde Sol pater;
Almae diei magne dictator, cüi
Gens tota vultus noctis auertit suos;
Poloque cedit siderum fugax cohors,
Curru superbus qui vagaris aureo,
Victâ triumphum dum geris caligine;
Ite ite divi; nunciate caelitum
Magno Senatu: dìus emergit labor,
Pedemque caelo tollit, atque ingens iter
Viamque tendit: Dousa prorumpit meus,
Secumque in auras nobile Heroum genus,
Et vos Batauos praestiteis Nerei duces
Equis magistra gens domare ligneis
Ferocientes caeruli regis vias,
Sali potentesque inclytus rapit patres,
Famae superbus eminens tugalibus
Togaeque compos, Laureaeque. Tuque Io
Consors laboris huius atque adoreae
Illustre magnis additum stellis caput
O nate Dousa, Iane Iane; seu procul
Liber patentem peruagaris aëra,
Mundumque pictis aureum latè notis,
Phaebesque blandis gemmeum sororibus,
Magnumque inane cernis, & terras simul,

Chaosque rerum; sive in extremo sinu
Auro pluentes propter insulas Deûm
*Canamq*ue *Thetym, Herculisque extra viam,*
Phaebique latam circulatoris domum,
Fastos paternos ore sublimi tonas,
Nomenque magnis aemulum Quiritibus
Crudum Batavi pectus, & fidei tenax,
Et Factioni cedere indoctum genus,
Gentisque magna Dousicae fundamina,
Auosque diuos, patriaeque semina,
Motusque & ausus, altaque incunabula,
Cattosque & Hessos inclytae praenuncios
Olim Batavae gentis: & Rhenus pater
Preßis vt aegre subiugatus cornibus,
Nutansque Iaccho molle flexerit caput.
Qua Didericus nominis princeps sui
Notum Gradivo pectus, & comata vis
Florentiorum caerulas poli fores
Circumuagatur, & gradu Iunonio
Virtute passas caelitum lustrat fores,
Et aure voces, & pio silentio
Tuas, bibitque, ruminatque; Pars deûm
O Iane Iane cernis ah? proles tua
Pupilla, patri posthuma erumpit suo,
O Iane Iane, matris auulse è sinu
Patrique furto penè sublate ah tuo?
Tot ah querelis Iane, tot suspirijs
Orbisque conclamate voce totius

Haec cernis? ante caelitum leges procul
Supraque rerum vertices, & arduas
Imperuiasque corpori vano domos
Humanitatis inscium nostrae tenent?
Haec ridet ille: ceu puer crepundijs,
Talisque patris ante subsilit pedes,
Ictuque crebro vique turbinem ferit,
*Multumqu*e *versat, exigitque, & hinc & hinc*
Crebris fatigat verberum vibicibus,
Et innocenti delibutus gaudio
Curisque totis viribusque rem gerit,
Lusuque sese pascit infelix suo,
Patremque multus intuetur, & stuper.
At ille toruus ore sublato pater
Despectat illa, munij memor sui,
Aeuique prima negligit ludibria.
Iactamur omnes, & leuis puertiae
Polus polique turba nos reos agit,
Magnique ciues accolaeque syderum.
At nos miselli Suavi ludij sumus,
Longoque ademptos, mox secuturi tamen
Luctu ciemus, lachrymisque; ceu nouum
Et antè nulli cognitum hoc iter foret.
Ast illa furtim Larua proserpit tamen
Mors, & vagatur, & premit vestigium,
'Infantiumque adinstar inijcit manus,
Atroque cunctos pallidoque lumine
Empusa nostra terret, & circumuenit,'

Omnesque tollit, singulos fallit tamen,
Et histrionum more palanteis agit.
Verum ille culmen ingenî, sanguis tuus
Tuusque natus, ille siderum decor
Beate Dousa, vindici rursum suo,
Et mutüanti sic redonatus Deo,
Mentique mistus aeuiternae; celsior
Humoque seque, vesteque exutus sua
Amictibusque, squallidisque vinculis
Arctisque; mundi regna maioris videt,
Et amplioris orbis immensi vias
Effusus in se totus, exundans ibi.
Vmbratilesque Opinionum despicit
Nodos iocosque, naufragamque inanium
Prospectat altus semitam mortalium,
Magnumque rerum terminum lustrat deum,
Circumspicitque tutus, & compos sui,
Exuberatque, diffluitque; tota cuî
Ingens sepulchrum patria est, caelum domus:
Namque ille rerum machinator spiritus
Auriga tardi dux herusque corporis,
Vanaeque molis imperator strennuus,
Suique semper, eminus licet, poli
Ciuisque verus municepsque, patriâ
Proscriptus olim sede, quam cernit tamen
Telluris huius inquilinus, erroque,
Extorris, exul, carcere impactus suo
Ineptientis dexterâ Promethei

Illa illa nostri pars superba, ventus est
Flamenque siccis excreandum faucibus
Fatalis horae cùm ciet neceßitas,
Ingensque rerum vellit aurem terminus
Diesque summa. Nec minus, tamen tamen
In alta pergere ardet, igneaque vi
Sursum reluctans tendit, & caelum suum
Procul fatigat prouocatque, & inquies
Aeternitati mente praeludit suâ,
Dignumque caelo spirat in terris opus,
Mortalitatis ferre leges insolens,
Seseque versat, erigitque; dùm leuis
Ruptisque mentis igneae repagulis,
Et his profanis corporis faedi notis
Pars aetheris sit vndecumque, & portio
Magno vniuerso huic imputatus, & sibi
Illic coactus ille, tot pressus graui
Annos ruinâ; vasa colligit sua,
Coloniamque mutat, exilitque ouans
Rudemque sentit, pileumque, mancupum
Exlex laboris compedumque; denuò
Praetore nempe redditus liber Deo.
At nos caducae saeculi propagines
Puluis misellus, halitusque, quem dies
Caelique lumen visque nobilis mouet;
Queis fomes imo pectore infusus sedet,
Ingensque in altum promouet vires calor,
Extraque vulgi semitas ordo vocat

Munusque rerum, flammeumque pectus, &
Occulta magnae aeternitatis semina,
Originisque conscius suae vigor;
Factis ab alto destinata gens sumus
Dictisque: Factaque vt priora, sic prius
(Nisi Suäde mobilis Fauonius
Et dictionum vernus aspiret lepos)
Infulsa tabent, litterario sale
Facundijsque destituta; onus sibi,
Serisque pondus improbum nepotibus.
At tu superbe pignore hoc tanto pater,
Natoque quondam, laude nunc nati tui
Tuaque Dijs secunde; Dousa per tuas
Musasque nostras, per domesticas tibi
Et inuidendas mobili vulgo deas,
Manesque nati, perque Lugdunum tuam,
Seruata quae te praestitem colit suum,
Nomenque vastum, quod vagas Atlantidas
Arctonque salsis exulantem fluctibus,
Phoebique metas luce praeuertit sua.
Si quid suäue, si quid optatum tibi,
Lauroque dignum, pectore eductum suo
Tuus Beate consecrauit Heynsius
Plebis profanae despicator, & fugax
Insanientis gloriae pruriginis;
Emerge porrò, latiusque verticem
Ostende caelo, pectorisque ignem tui,
Totumque Dousam patriae expendas suae,

Fastisque magnis, ingenîque onus tui
Totosque neruos gens profana sentiat,
Gematque, mentis luce praestricti tuae,
Ah litterarum vana mendicabula,
Lixaeque inanes, proletarij patres,
Et Malchionum si quid vspiam est; tuus
Quicquid Tragoedus ille, quicquid Histrio
Vani Batauis illinunt Annalibus,
Prosceniumque disijce Orchaestrae pater
Praesulque nostrae, patriamque vindica
Contaminato conditam styli situ.
Natique si quid inclytum latet tui
Exsolue tandem, mortuusque denuò
Nascatur ille, bisque eandem Virbius
Vni parenti debeat lucem; simul
Patrique raptus, patriaeque redditus.

Iano Grvtero Viro Clarissimo

EGO vero dîu vocandus no*n* sum Grutere Clarissime, iam adsum, & licet absens, ad te venio. Literas enim suas, qua de me erant, Clarissimus Vulcanius noster, & amicissimus Scriuerius mihi perlegerunt, quibus tu id curae dederas, vt fauorem mihi tuum denunciare*n*t; ipsissimis enim verbis vti no*n* audeo: ne quis me aut magnificè nimis de me sentire, aut humiliter de celeberrimâ nominis tui existimatione, quam ego iamdudu*m* exosculatus sum; arbitretur. Pudet tame*n*, Pudet,

> Οὐ γὰρ ἐγὼ θεός εἰμι τὶ μ' ἀθανάτοισιν ἐϊσκεις;

Parui sumus; imò nulli. Vnum modo possumus, viros magnos admirari: quod multi propter τὸ ἀμαθὲς non possunt: plures propter τὸ ἀγεννές non volunt: Ignaua corda, imo sordida, terrae suae nata tantum, in quam quotidie magnis passibus contentdunt. At nos cum literis suauissimam Amicitiam colamus, atque huic Deae auspicio Gratiarum faciamus. Ita tamen, vt putus ad te candidusque veniam, sordesque eas quas nuper contraxi eluam. A te enim, quod sponte milli praevertendum fuit, ad suave hoc foedus inuitatus sum. Ignosce vir doctissime, simulque Heinsium & ab eo aliquid, quod quidem ego καθαρσίου loco esse volo, accipe. Munusculum literarium, καὶ ὣς ἐμὸς οἶκος ὑπάρχει. Iambos igitur, partim morales quos pueri penè scripsimus (quod & ipsum vt scias mea interest) partim quos vel ad amicos, vel amicorum causa scripsit, tibi mittere visum est: quod quidem eò confidentius feci, quod incomparabili Scaligero suos me non facile extorquere posse videbam. Novi enim quis ille; & omnes mecum

> Μοισάων ὄρνιχες, ὅσοι ποτὶ τῆνον ἀοιδὸν
> Αντία κοκκύζοντες, ἐτώσια μοχθίζοντι.

Quod quidem quam optaverim ex Elegia meâ, quam hic subiunxi, facile animaduertes. Felices tamen sumus divini illius Herois praesentia, ac praecipuè ego, qui propemodum domesticus eius, raro praesertim hac heyme, seorsim ab eo vivere soleo. Atque hic quidem ille. Hagam vero quotiescu*m*que me co*n*fero, Iupiter meus ξένιος ἅμα καί φίλιος Doûsa est. apud eum no*n* possum quin diem saepe vnu*m* aut alteru*m* ponam. Certò scio mi Grutere, quamuis te βάσκανον minime esse sciam, prandia illa & caenas imuideres mihi, quae tantâ sermonum eruditione, ac fe-

stivitate condiuntur. Comata*m* illu*m* beatum vocat poeta meus ille Siculus

> ὅττι μελισσᾶν
> Κηρία φερβόμενος ἔτος ὥριον ἐξετέλεσσεν.

Ego vero mihi videor vel δὶς τοσαύτα ἔτη ἀποκαρτερήσων μόνον τῷ Δούσᾳ παρών. Eo autem lubentius haec edidi, quod nonnullos Iambos in manibus studiosoru*m* corruptissime editos esse sciam, ita quide*m* vt interdu*m* σκάζοντες in omnibus fere pedibus sint, qui hac editione adhibitâ facilius emendari poterunt. Ad alteram vero petitionis tuae partem quomodo respondebo? petis nimirum vt aliquam quoque ipse ad Illustrissimum tuum Inscriptionum opus symbolam conferam. Egone vt tot inter sublimia aeternaque nomina meum quoque committere audeam? sed agedum, fiet id quoque; imo iam factum est. scripsi ergo, & quidem graecum. Lubentius enim (quod quidem tibi in aurem dictum velim ne id Latinae meae Musae audiant) Ἑλληνίζομεν. Noster στρωματεὺς quotidie pergit, in quo Graecos ac praesertim poëtas emendamus. Reliqua etiam vrgemus. quidni? ποιεῖν τι δεῖ αἰς γόνυ χλωρόν. Tu igitur mi Grutere me posthac amabis; & haec mea, ac valebis, ne rursus Graecissemus, quod vt nosti togata illa Romanorum seueritas vix admittit.

Ex Elegiarum libris ad Illustrem & Incomparabilem

Iosephvm Scaligervm

P*Rò dolor infelix, Elegi miserabile carmen,*
Et sequitur lachrymas languida Musa meas:
Juliades dulces negat ah negat edere faetus,
Pignoribus lucem subtrahit ille suis.
Ergone tot molli ridentes agmine versus
Cunctaque solius carmina noctis erunt?
Obruet ah dulces genitor sua pignora natos,
Et geniti tantum, quò moriantur, erunt.
Scilicet ah mites & adhuc a patre rubentes
Vulnera, quae nondum commeruere, ferent.
Immitis genitor poteris, mea gaudia, doctam

Sub tenebris prolem dißimulare tuam?
Ingenijque ardentis opus: fuge maxime rerum,
Ne tumulus natis fit domus ipsa tuis.
Heu tumulus domus ipsa tua est: his condita tectis
Nobilior mentis pars latet illa tuae,
Quique domum cernit, bustum simul ille tuorum
Cernit, & exequijs funera cassa suis.
Ah quoties dixi: quantos tegit illa recessus!
Scaligeri quantum poßidet illa mei!
Iuliade stirps alta Deûm, miserere tuorum,
Et genitor natis parcere disce tuis.
Quid, pia progenies, placidi meruere libelli?
Quid bene vix nati, cur tumulentur, habent?
Scilicet vt Musas caries sibi vindicet illas?
Hospitium blattis nobile carmen erit?
Ingeniumque tuum tineis tradetur? & atra
Sub tenebris voces diruet vmbra tuas?
O superi prohibete nefas: prohibete Camenae;
O mea gens, animi cura serena mei.
Blanda venus lepidi sermonis lactea mater
Quâ tenerum nobis praefide surgit opus
Iuliades doctos damnauit nocte libellos:
Et tenebris nobis quae negat, illa dabit,
Eripit ah nobis, tenebris vt tradat & vmbris:
Maluit hoc tenebris, quam tribuisse suis.
Ah genus infelix, placidi siue crimine fratres,
Vos procul ignoto limine carcer habet.
Forsitan & summo dum pendet aranea tigno
In tenero faedum carmine nectet opus.
Heu nimium magni soboles infausta parentis
Scaligeri frustrà gens miseranda mei.

Non ego te cernam titulo fulgere superbo,
Et domini nomen dulce referre tui.
Naenia natalem miseris praecedet: & ipsa
Mors prior ah vitâ vestra futura suâ est.
Non genitus, moriere tamen, labor ille: nec vnquam
Heinsius aspiciet, verbaque pura leget:
Jmprimet aut eheu tenerae pia basia chartae,
Discet & ad numeros flectere verba tuos.
Heynsius vt careat caries habet, atraque noctis
Nomina: quaeque mihi non licet, vmbra tenet.
Vmbra tenet dulces, animi monumenta, libellos:
Ah radios mentis poßidet illa tuae!
Ah dolor, ah molles lachrymas effundite Musae,
Et lachrymas noster fundere discat amor.
Me miserum, tumulumque solo statuamus inanem,
Solaque quae restant nomina seruet humus:
Scilicet vt nostri mecum gemuisse nepotes,
Et lachrymas discant fundere posse suas.
Posthuma gens dulces sciet interijsse libellos,
Discet & à lachrymis id meminisse meis.
Atque aliquis maesto stillabit flumina vultu,
Et leuiter dicet: quae tulit vna dies!
Tempora quodque alijs, magnus sibi Scaliger ipse est.
Quodque dies multis sustulit, ille sibi.
Lux hominum, pars magna deûm, miserere nepotum:
Hos vocat haeredes mens generosa suos:
Hanc sibi progeniem mens ardua poßidet: illi
Ingenij sacras ignea seruat opes.
Ergóne qui genuit genitum ferus obruet? ergò
Ne tibi non noceant tempora tempus eris?
Heu dolor, heu lachrymae, heu Elegûm vis tota meorum

Inque meo si quod pectore numen agit.
Per superas atauorum animas, aquilasque tuorum,
Et consanguineos, numina vestra, deos.
Perque tuas, Musasque meas: per Caesaris vmbram,
(Sic bene tecta leuem corpore gestet humum)
Caesaris ingentemque animum, versasque phalanges,
Et toties faciles in tua vota Deas.
Sic tibi sublimem vaga mens perrumpat Olympum,
Arduaque inuectus sydera tardus eas,
Aetheraque illustres, patriamque interritus aulam,
Et videas proavis debita regna tuis.
Magne pater miserere tui, miserere tuorum:
Et tribuas natis viuere posse tuis.

In livorem

Liuoris atri noxiâ abreptus gemis,
Spirans profanam pectoris faedi luem,
Tuique vindex, ne sit impunis caues
Furor tuarum pestilens Erynnidum,
Noxasque fundis, vindicas idem tamen,
Iudex, reusque; punienda qui geris,
Punisque solus: sceleris infandi pater,
Idemque vindex: dum scelesta mens suae
Correpta labis lurida afflatu gemit:
Ridesque nunquam; ni bono elatus tuo,
Máloque nostro: gaudijque fons tui
Dolor tuorum est: nec beata lux tibi,
Nisi immerentes obrui cernas viros.
Lues nefanda, criminum infelix pater

Beata cernas cuncta, te praeter tamen;
Bonoque nostro perfruaris, vt tuo
Carere poßis vsque & vsque: qui nisi
Aduersa cernas, haud secunda noueris.

De fragilitate rerum.

Quacunque vastus liminis magni parens
Censorque rerum flammeum per aëra
Sol candicantes igne deducit rotas,
Caelumque habenis peruagatur aureis;
Rotamur omnes: orbe voluimur vago,
Lususque rerum temporumque nascimur:
Nihilque firmum magnus annorum pater
Dies tuetur: turbinum potentia
Seseque rerum mobiles premunt vices.
Cunctisque ab annis mensibusque ad vltimum
Provoluimurque ducimurque; Se tamen
Perire nemo, sed perisse conspicit.

In naturae prodigia (si sunt tamen) qui θεοι dicuntur.

Quicunque vastas aetheris magni domos,
Sublimibusque regna syderum globis
Gemmalalate, flammeoque cardine
Suspensa mundi maenia immensi vides,
Polumque pictis nocte flammantem ignibus
Phoebumque purâ semper ardentem comâ,

Oculum serenae lucis, & vitae diem:
Phaebenque ciues inter audentem suas
Surrepta fratri mutuare lumina:
Stellasque gentem caeruli vagam polí:
Caelo coruscis subsilire vultibus,
Fluctusque vastos, impetusque caerulos,
Reciprocique turgidas sali vices:
Rursusque viuam vere tellurem novo
Miti serenos imbre pandentem sinus;
Sublimius vagare: celsius sub his
Imperuiumque luminum obtutu latet,
Mens illa rerum, terminusque, vitaque,
Mundique origo, spiritusque; surrigens
Fouensque cuncta: mentis vtendum hic ope est:
Mens alta perge. remige alarum procul
Trans claustra mundi, atque Herculis magni domos,
Finesque summos, transque flagrantem aëra
Euecta tende: quicquid hic latet tuum est.
Surge, illa nostri purior pars, aspicis
Sublimiores aetheris sacri fores.
Fons inde nostri: condita aspectu patent;
Aeterna menti: mens poli polo latet;
Humo oßibusque nostra; vinculis suis
Obstructa semper impotensque: deuia,
Erransque, palpitansque, cassa lumine
Dei, suoque, pondus exantlans graue.
Suppressa semper, baiulansque; nec sibi
Spectanda: tantum mole compacta latens

Infusa terrae. Mentis aeternae tamen
Scintilla nostra est, fomitem hinc vitae trahit
Viresque ducit, elicitque: debiles
Et haec & illa luminum obtutus fugit.
Miraris ergo vana gens, quod haud queas
Animam vniuersi cernere? haud cernis tuam.

In miseros, mortem tamen optantes.

Pressus superbae viribus licentiae
Demolientis cuncta fortunae; paves
Leges nouercae, quae procacibus rotis
Victrix potentes digerit rerum vices:
Et insolentis turbo mobilis deae
Sortis flagello quassus aduersae tremis,
Saeuis labascens verberum vibicibus:
Mortemque poscis, suêtus optatae prius
Gremio fauentis agere fortunae dies,
Morique votum est. ah miser, miser, queas
Mortemne ferre, ferre qui vitam nequis?

Ad impium.

Quacunque vultus, feruidique duplices
Vagantur orbes luminis, caelum tenet
Haec cuncta circum, penduloque ab aëre
Ambimur omnes & tenemur vndique.
Suspendit illa vultibus magnus pater
Aduersa nostris, aureisque luminum
Signata templa, siderumque motibus,
Quocunque celsa dirigas acumina,

Radiosque verses luminis, polum vides
Vrbemque nostram, patriamque: inertia
Inuitat ora gentis humanae Deus,
Vultusque in alta ducit, & tuerier
Iubet micantem lumine aeterno domum.
Nolis velisue gens profana, conspicis
Regis superba fulgurantis atria,
Ardensque semper aetheris lati decus,
Inclusaque imminentibus coeli plagis
Et hinc, & inde es: pallidoque vertici
Arx alta machinantis incumbit Dei,
Ceruicibusque caerula impendet via,
Reumque cingit. quo vagare? fulgido
Teneris orbe, nec fugae patet locus.
Ergo O profane, mortuus Deum queas
Fugisse, viuus fugere qui coelum nequis?

De conscientia.

Veneris nefando caecus instinctu ruis,
Scelerisque terra pondere, atque aer tui
Gemit, pavetque: nec sat vna nox tegat
Virus scelesta depluens contagia,
Latere cunctos ista dum speras; tui
Oblitus ipse: teste nam carere vis
Te nesciente quod tamen fieri nequit,
Testisque eorum quae latere vis, tibi
Inuitus ipse es, nec sine arbitro, licet
Solus, vagare: iam tibi tergum premit

Celeratque, quo vagaris? ipse ades tibi,
Alium velis latere, te ipse non potes.

In Scortationem.

Lascivíentis improbâ tentigine
Scorti vagaris impeditus vnquibus
Manceps proteruae destinatus accubae,
Lubensque faedo colla summissus iugo
Omnem tremiscis abnuentis impetum.
Iocosque mille, mille ineptias iacis
Süauiori deditus tyrannidi.
Miles pusille, tune viribus potis
Martis tot alta dißipare maeniâ
Victis superbis insolenter hostibus?
Domasque ferro: sed domaris osculo.

In paupertem.

Magistra rerum, disciplinarum parens,
Sublimioris dura naturae comes,
Regina egestas, sola quae semper minus
Habendo, nunquam maior esse desinis.

De miseris mortem metuentibus.

Fastidientis sorte Fortunae miser
Gemitus ab imo pectore infelix trahis,
Mortesque mille, mille dum viuis neces
Geris, perisque. nec minus necis tamen
Gelidae flagellum mente percussus tremis.
Ergon' quater miselle, dulce sit tibi

Toties perire, triste sit semel mori?

Quae videntur perire omnia.

Obtusa quicquid luminum vagantibus
Acies pererrat motibus; minax sibi
Mors poscit: immortalia aspectum latent
Sublimiora vultibus nostris, neque
Dum viuis ipse cerneris tibi: leuis
Quod cernis vmbra est, puluis & compes tui,
Animique vestis haud decora, pallidae
Imago mortis, & focus caliginum,
Tumulusque viuus, mortuae vitae domus.
Te cernere ipsum non sinens tibi, neque
Lustrare mentis igneae templum tuae.
Vago hoc solutus ergo carcere; id vide
Videre poßis, quod videre non potes.

In tyrannum.

Ciues superbae viribus potentiae
Nixus, cruentique moderamine imperî
Saeuisque habenis oris improbi minas,
Et intonantis alta linguae verbera,
Et quicquid amens pectoris saeui tumor,
Vel atrabilis, vel superbus ingerit
Insanientis vana naturae rigor
Horrere cogis: cunctaque exhorres prius
Terrens tremensque: namque iustus arbiter
Aliena terrens crimina, tremis tua,
Metuque subdis, subderisque: nec prius
Timere cessas, quam timeri desinis.

In obitvm Christophori Raphelengii Qui hydrope interijt.

Fatis viator ferreisque numinum
Semper minorem legibus mentem gere.
‘Rerum procellis, & voraginum ferox
Semper redundans horret humanum mare:
Sortisque vento turba mobilis sumus.
Collo minacis pendet aeternùm Dei
Districtus ensis: impotensque casuum
Despumat in nos, turbinumque audax fragor.’
Eheu virentis feruor ille, & igneae
Robur inuentae dulce, corque nescium
Insanientis cedere ictibus Deae,
Fortunaque ipse qui fuit sibi; iacet
Eheu viator, ah miser, miser, iacet
Raphelengianae culmen alterum domus.
Caeloque dignum poßidet tellus virum
Ah aeuiternis ille chartarum notis
Et imminentis omnibus fati manus
Aggressus arte, quae perennibus modis
Aeternitatis ala, vitaque omnium est,
Quoscunque rectus pectoris vigor rapit,
Deûmque ad altas impetus vehit fores;
Heu interemptus fluctibus iacet suis,
Suumque secum geßit infelix mare,

Vndis ab ipsis quas creauit obrutus,
Vivoque pontus, venter, & fluctus fuit,
Suique vixit hospes & comes mali,
*Longeq*ue *ab vndis inter vndas occidit.*

Alivd quod quia eiusdem argumenti cum superiore est subjungam.

Quid procul hybernis agitatas fluctibus vndas,
Et metuis dubias aequoris ire vias?
Oceanumque altos sorbentem fluctibus aestus
Caeruleique hospes tristia regna dei?
Qui iacet hic, secum proprias tulit ah miser vndas,
Et mare quo perijt obrutus, ipse fuit.
Ipse sibi, miser, vnda fuit, pelagusque viator,
Inque vtero fluctus, & sua fata tulit.
Sic, licet in terris, vndas tulit ille, soloque
In medio, medias occidit inter aquas.

Ad Hugonem Grotium iuuenem sine exemplo, elegantissima ab eo donatus Tragaedia Adamo Exvle

Ingens cothurni splendor, O dium caput,
Qui syrma voce regia sacrum trahis,
Soccoque magnum tundis exultans solum,
Tandem renatae maxime Orchestrae pater,
Ignosce fasso: cogitur retrò tuus
Pedem referre cultor, & süauibus

Sacri prioris exulare lusibus:
Exulque, quamdiu exulem spectat tuum,
Magnae videtur vrbis, & Quiritium.
At tu profane faecis antiquae parens
Imbellis Euan, matre prognate è Deo,
Vnquamne leges Bâcche transilui tuas
Nonnumue laesi? dum tuli praesens opem,
Phoebeiamque vulneri admoui manum?
Baccharis Heinsi: Bacchus haud vsquam tuus
Sublime thyrso parcius pectus ferit.
At illa rerum magna culpanda est tibì
Natura nutrix, obstetrixque, quae prius
Nouerca cunctis, Grotio mater fuit.
Senex ephaebus ille, quem Batauia
Miratur omnis, optat Hetruscus sibi,
Omnisque Gallus, ille dum puer fuit
Vir esse cepit: Namque relliqui, viri
Tandem fuere: Grotius vîr natus est.

Danieli Heinsio suo Hugo Grotius, cum Adamum Exulem suam offerret.

Choliambi.

Heinsi vetustae restitutor Orchestrae,
Ornas cothurno qui pedes Sophoclaeo,
Primusque syrma vincis Euripidaeum,
Et Aeschylaeos, & Lycophronis faeces,
Et quicquid vsquam perditum Tragoedorum
Desideratumque hactenus, repensasti,

Sume hoc amici (nomen hoc in aequales
Si non recusat) sin minus, tui saltem
Poëma, in arrham quam sacrae clientelae
Postremus offert principi poetarum:
Lecturus illud vt beatus exultes,
Cum nos videbis velle, posse te solum.

Nobilissimo, doctissimoque iuueni Samueli de Lecherpiere Riuerio, cum de fide iustificante summa cum laude disputasset.

'Excelsa virtus, vi licet retrò sua
Perrumpat omnes noctis ignauae moras,
Iterque caelo tendat, & terram suam
Post se citato deserat velox gradu;
Tamen secundis irrigata laudibus
Deuota Musis ritè quas signat manus
Et è profundo pectoris sulco trahit
Diuturniores corde radices agit,
Ignobilesque tuta liuoris minas,
Virusque inane calcat, & sedem legit
Quà tot remotis inclytam vestigijs'
Aeterna raram fama fortitur viam.
Sic teste caelo, totque doctorum manu
Cor illud ardens, Riveri, parat tuum
Fultum cathedra, spiritus, & igneae
Fortis iuuentae prouocare robora.
Hic sidus illud Iulio dignum polo,

Ille vniversi splendor, agnatus deûm
Denso sedebit Scaliger cinctus choro.
Hic alter ille Galliae fulcrum tuae
Scientiarum terminus, morum pater
Catone dignum Iunius tollet caput.
Illic senatus, totque Phoebei patres
Hinc inde longum syrma visuri trahent,
Et omnis ausus condet assensus tuos.
O quam potentes cordibus motus ciet
Vis prima laudum! quam potens rerum sitis
Ardore pulchro pectus erectum quatit!
At tu beate, seu Pyrenes horridos
Vltra recessus tendis, aut nostro procul
Divisus orbe barbarum calcas gelu;
Nostri memento, postque defensam fidem,
Fidem quoque isthanc Heinsij serua tui.

In obitum Nobilissimi & Clarissimi Philippi Marnixii Sanct Aldegondii, optime de se meriti.

Medulla rerum, vita disciplinarum,
Facetiarum corculum, pietas tota,
Excelsioris arx domusque naturae,
Penus sacrorum, lampas alta Belgarum
Aeternitati natus, arbiter morum.
Si plura quaeris hospes, hic iacent plura.

Iosepho Scaligero ervditionis principi, Temporis Restitvtori, felix anni exorientis Initivm Optat Daniel Heinsivs.
Ad Annvm & Tempvs.

O *Rigorerum, mensium bis sex pater,*
Ingentis aeui, saeculique pertinax
Rotator: o qui mille per gyros soles
Redire eòdem, quique crescendo peris
Pereundo crescis, teque prodigus tui
Perdis, sed in te. tuque quoque o bifrons Deus
Censorque, tergi magne lustrator tui.
Tuque ille rerum trux vorator omnium
Tempus renascens; vindicem tibi tuum
Nobisque serua, seriorque sit meis
Lux illa fatis, quâ solo & mortalibus
Ereptus oris Iulij sacrum genus
Heroas inter Caesari iunctus suo
Caeli patentes arduus tundet fores.
Tempus memento, votaque exaudi mea
Nobis tibique consecrata: nec potes
Seruare nobis nolle, quem seruas tibi.

In doctissimi Ivvenis Richardi Band. Angli disputationem pro gradu magisterij.

P*Ostquam potentis artifex manus Dei*
Ardente pictas igne distinxit vias
*Flammantis aethrae, fornicem*que *caerulum*
Hinc inde, fixum pondus ingentis soli
Ambire jußit, *& prius formae Chaos*
Vllius expers, omnium capax tamen,
Tot his figuris sculpsit, & notis suis;
Ibi ille rerum censor aequus omnium
Divînitatis fomes, ille alter Deus
Caelum resedit inter & terras Homo,
Dignus theatro judicatus *aureo,*
Dignus parente. deêrat hoc vnum tamen
Aeternitatis semen. ergò ingens pater
*E luce caeli, syderum*que *vultibus*
Sacram perenni lumine accendit facem.
Hanc ille motu semper vrgentem novo,
*Sursum*que *pectus erigentem flammeum*
Sub corde nostro versat, atque intus quatit,

Donec profanus torpor oblitus sui,
*Ignaviaeq*ue *vanus obrepit cinis,*
*Ignemq*ue *sacrum condit, atque iners situs*
Pura calentem mentis extinguit focum.
*‘Namq*ue *illa fervens ignei lux ingeni*
*Exorta caelo, parsq*ue *vicini Dei*
Leni veneno blandientis otij,
Et annuentis impetu libidinis
Sponte in soporem versa declinat suum.’
At tu Britanno sidus exortum solo
Blandi, tot inter cassa delectamina
Dulcis j*uventae, totq*ue *ventorum minas,*
Quas illa menti pestilens sidus bonae
Prima Voluptas semper aetati comes
Contagioso mollis afflat halitu;
Voto potitus inclyto, portum tenes.
Beate Ephaebe, victor aetatis tuae,
Victor laboris, victor ingentis iugi,
Quod illa vitae magna regina & parens
Virtus tot altis destinavit ausibus.
Namque ille sortis arbiter nostrae Deus
Inter trecena montium cacumina,
Rupésque vastas, inter horrentes specus
Vmbrasque inanes, inviam plebi vagae
Suspendit vrbem, tristibus quam maenibus
Septemplicique cinxit hinc illinc vià,
Ambagibúsque mille, mille semitis:
Hanc vanus ambit error, hanc durus labor.

Intus Decusque, duxque rerum Gloria,
Virtusque casta culmen excelsum tenet.
Illhuc virentis primus aetatis calor
Plenis juventam paßibus nostrum rapit:
Sitísque laudis, indolísque pulchra vis,
Honosque, diae pectus exercet face.
At illa mollis, insolensque inertia
Ignava mentem febris occultè subit,
Blandáque vivos fraude sistit impetus.
Multos proterva Cypris, & fallax genus
Sexúsque mollis penè transversos agit.
Plerísque nostris ille Musis accola
Mentem liquore mystico Liber rapit.
'At ipsa nobis tempus asscripsit breve
Natura vitae, dulcis hinc puertia
Aetásque prima, molle vectigal sibi
Lususque poscit. interim tamen tamen
Horae citatis paßibus leves eunt,
Diésque retrò fertur, & quicquid fuit
Nil poenitere praeter, & suspiria
Dé se relinquit, ac sibi corpus grave.'
Blandi Beate, quanta surgentem premit
Moles juventam! quanta vis retrò trahit!
Illhinc Calysto mollis, hinc Circe levis,
Et in ruinam prona gens nostram sumus.
Felix Vlysse patriae redux tuae,
Felix, tot inter temporum contagia
Itachen, Samenque cernis, O felix nimis

Scientiarum tanta permensus vada
Vitae protervos mente mactasti procos,
Natámque felix Icarî totis tenes
Amplexus vlnis, redditus terrae tuae
Felix maritus huius in sinu iaces.
Ergo illa vastis hinc & inde fluctibus
Pulsata tellus, illa quam Mavortia
Armis Amazon vestra propugnat suis,
Lustrare vultus, oráque exoptat tua.
Beate Ephaebe, spectat haec laudes tuas,
Et cuncta tecum dividit praeconia,
Haec illa Blandi prima vitales tibi
Indulsit auras, munere illius polum
Polóque iuncta cernis illa sydera.
Illhic pusillo primus errasti pede,
Dulcíque primos voce formasti sonos,
Haec vna mater: dulcis haec parens tibi est.
Tellure namque patrijsque finibus
Matrem minorem nescit excelsus vigor,
Deóque dignum pectus, & scientiae
Firmata castis mens beata legibus.

Hvgonis Grotii albo Heinsij inscripti Iambi.

Nouem Dearum cultor Heinsi virginum,
Rossaeque decimae, quae Camoenarum choro
Riualitate certat implacabili,
Suumque te illa iactat, & Musae suum,

Haec quod dedere carmen, illa quod accipit.
Qui nos in orbis hoc satos delirio,
Seroque natos, ipse dum mundus perit,
Tot damna veterum luce dum pensas nouâ
Prohibes vetustis inuidere faeculis,
Quid est quod a me, quem minorum gentium
Nosti poetam, poscis hanc chartam tuam
Devirginari? fallor, an quamuis velim
Recusat aetas. fas fit imperio tamen
Parère tanto. quicquid in me est ingenî
Id omne magno litterarum consuli
Seruire discat, quodque Apollineae mihi
Negavit artis parca Naturae manus
Det imperator ille, quem cum gigneret
Natura vinci cepit, & se vincere.
Te veneror Heinsi, tu mihi pectis quatis,
Docesque iussu, iamque nec quod postulas
Non posse possum. Silium excercet tuum
Furore Mauors entheo, quòque Annibal
Exarsit olim, visque cunctatrix Fabi
Hoc ipse vates trahitur: atque alter tuus
Tuus ille Nonnus, amnis in tumidi modum
Labentis alto ex monte fertur, Bacchico
Percussus oestro. quisque quem cantat Deum
Afflatus illo est. Heinsius numen mihi.

Sed iam erubui: malo tamen erubescere ego, quam vt illius quem vnicè miror, quicquam pereat. Quoniam autem incepi iambos producere, iuuat & reliqua hoc loco exhibere carmina, quae cum iambis iuncta sunt.

In obitum Clarissimi Modestissimique viri Francisci Raphelengii.

Aspicis exilem tumuli se tollere molem,
Lenique terram vertice,
Exiguo puram gremiô quae poßidet vmbram,
Manesque nobiles. procul
Hinc fuge, cui scelerum cura est, cui gloria rerum
Ventosa pectus concutit:
Virtuti patet ille locus, solique beatus
Sacer modestiae vacat:
Virtutum domus est: iacet hic Raphelengius ille,
Ingentis Europae decus.
Huic orens Aurora suos ediscere soli
Permiserat lubens sonos,
Turcarumque domire sidens transduxit honores,
Nullique cognitus licet
Cum patrijs Batavis Arabas confudit & Indos.
Ah hospes ah, en, qui fuit
Sol oriens nobis, linguasque orientis ab ortu
Transuexit; occidit tamen.

Memoriae nobilissimi doctissimique juvenis Georgij Dousae magni Iani Dovsae F.

Quid cineres isto frustrà, quid & ossa sepulchro
Quaeris Viator, corporisque relliquum?
Aspicis hic nudum modò nomen. caetera Pontus
Nereî furentis aula sortitò tenet.
Dousiades manibus Turcarum elapsus & oris
Phocis in alto victima infelix iacet.
Qui variasque hominum sedes aduectus & vrbes
Vtramque Phaebi vidit ardentis domum
Hunc pater Oceanus tandem, viridisque Palaemon
Thetisque toto conditum ponto tegit.
Sic, potuit totam qui viuus cernere terram;
Olli sepulchrum contigit, Totum Mare.

Incomparabili ivveni Hvgoni Grotio cùm Silium suum offerret ei.

Nominis ô patrij sublimis gloria, faxque,
Cui nil Batavae spumeus terrae pater
Quâ validis circùm Cybelen complectitur vlnis,
Pontique lambit aestuantis ostia,
Cattigenisque suis domitum defendit Iberum;
Aequale quicquam, par nihil quicquam videt.

Accipe praeclaro victurum sanguine Paulum,
Totasque Cannas morte pensantem sua
Annibalis fugientem animam, Hannonisque tumorem,
Tarpeïumque penè concussum Iouem,
Et formidantes summißis collibus Alpes,
Vltorque Elisae quicquid effudit LIBVS
In dominum terrae ingentem, quassumque Quiritem,
Et iam labantis alta Romae maenia.
Ecce, meus praeco Libyes, Poenique furoris
At te superbam Consul affectat viam:
Ille orbis Latialis apex, gentisque togatae
GROTI *beatos iussus affectat lares.*
Hactenus j*nuictas potuit gestare secures:*
Nunc hasce soli sponte summittit tìbi.

In obitum divini ivvenis Iani Dovsae Filii.

Nauita qui magni percurris sydera caeli,
Vndamque findis aureo polo duce,
Inter & vmbrosae taciturna silentia lunae
Flammantis altam consulis mundi viam.
Seu Batavis, seu Mattiacis è finibus ortus
Percurris altam Nerci patris viam;
Desine mirari niueo quod proxima cygno
Non vna sicut ante fulgeat lyra.
Dousiades nocte hac patrio donatus olympo est,
Suamque magno consecrat lyram polo.

Scriverio meo de filiolo nuper nato.

Tui lepores Scriveri, paruus tuus,
In ore cuius, cuius in blandis genis
Pudica mater viuit, & dulcis pater
Mox insolenti leniter serpet gradu,
Mox & süavi blaesus alludet sono,
Foenoque paruum condet & plumâ larem:
Ridere noli: totius praeludium
Instantis aeui primus est vitae lepor.
‘Viris quoque ipsis grata sunt crepundia
Opum cupido mollis, aut honor levis.
Ridere noli: ludibunda res homo est.
Semelque pueri nascimur, semper sumus.’

In Avriacvm, Danielis Heinsii Poëtae incomparabilis Tragoediam,

Iani Dovsae Nordovicis Elegia,

HEINSIADES MVSAE *(neque enim iam nomine Pimplae*
Dicendae posthac, aut Heliconiadum:)
HEINSIADES *inquam, mea cura potißima, Musae:*
Dicite, sed vestrâ (Numina sancta) Fide;
Fors quaenam, aut Ratio nostris vos appulit oris,
Huc Aganipppaeo tam procul à nemore?
Numina quisue deus Batauae dare nomina Leidae
Compulit, extremi littus ad Oceani?
Sic ego, sic nobis DVLCES ANTE OMNIA MVSAS.
Haud imprudenti haec Quaestio mota tibi.
Scilicet exsilij tibi sors incognita nostri est,
Aut sola cur toties versa Cytheriasin?
Barbaries, doctas quae desolavit Athenas,
Deserere Argolicam prima coëgit humum.
Protenus in Latium *hinc faelix nos expulit error*
Hetrusco acceptas comiter hospitio.
Nec tamen Hesperias intrà fuga constitit Alpes,
Sed Rhenum & Boios ivimus Vlterius.
Nos Theuto, & Gallus, nos excepêre Britanni,
Astur, & Jllyricus, Sarmata, Pannonius,
Certatim insinuans se quisque; nec hospita nobis
Vel rigidos inter tecta negata Getas.
Et Scotus hos nobis habuit, hos Danus honores:
Omnia Nassovius sed superavit amor.
Cattorum qui nos voluit considere regnis,
Et stabilem Hollando figere in orbe pedem.

Fiximus, atque loci dulcedine delinitis
Suave fuit placitâ conditione frui:
Justa quòd hic nostris decreta stipendia Mystis,
Nutrit honos artes, ingeniumque facit,
Percontere licet; non inficiabitur istud
Lipsius, & magni stemmata Scaligeri.
In medios Romam qui traduxere Batauos,
Et Graios nobis restituerê choros.
Et bene, nîtantos Patriae inuidisset honores
Dux pecoris suîlli, pro sale queis anima est,
Hinc Verres, Tragus inde, nimis bene compositum par;
Corrupto Veri palmite vterque nocens.
Digni ambo, Thuscus Bromio quos mactet Aruspex:
Jlle vti Maialis fiat, at ille Caper.
Parte aliâ nobis extrema minantur Jberi.
Abstineas crudas gens (precor) atra manus,
Abstineas gens atra precor; spes nulla rapinae
Hic tibi; vbi vindex praesidet AVRIACVS.
Sit satis indigna Sicarî fraude peremptum
Nasso vium terris praeripuisse Patrem.
Ah nullâ (ah) mage caede nocens Hispania; saltem
Debuit hoc sceleri non licuiße tuo.
Sin fuit in Fatis, tali vt nece victor obiret,
Nunc saltem Furijs contrahe fraena tuis.
Viderit ista Deus; at si quid poßumus ipsae,
Tollet nulla dies hanc tibi, Maure, notam.
Heinsiadi sed enim laus haec & gratia nostro
Scaligeri ipsius debita iudicio.
Heinsiadi, cuius inter tot lumina Vatum
Enthea mens nostrae non eget artis ope.
Ipsius potius Genij est opus alite nobis,

Alternis soliti verba praeire choris.
Per caussam Delphis Leidam dum mutat Apollo,
HEINSIADI *que suas mandat obire vices.*
Quò, nisi vt interea GROTIANAE ORACLA SIBILLAE
Consulat; haud spernens discere, quae docuit.
At laudando aliàs dabitur locus Hugeiano;
Nunc satis, HEINSIADI *reddere posse vicem.*
HEINSIADI, *tantum cui nos debere fatemur,*
Quantum alicui nostrum soluere difficile est.
Debet & Auriacus, quòd non velut ante vagatur,
Vmbraque trans Stygios errat inulta lacus.
Fallimur, hoc siquidem de Principere credere, vanum est,
In Coelum Pietas cûi sua struxit iter.
Divini hinc meritus Vatis praeconia Diuus.
Otia qui nobis vindiciasque dedit.
Et bene, quod tanto Heroi par contigit haeres,
Maranos natus vincere MAVRITIVS.
Imperij dignus Dominas qui tractet habenas.
Sospite quo Belgis nil metuendus Jber.
Plaude tuo vati Princeps; redit alter Homerus,
Heroô exaequet qui tua facta sono.
Materiae ingenium cui par industria felix,
Materiam ingenio Fata dedere parem,
Sicari facinus Tragico dum plangit hiatu,
Dumque novum Caelo consecrat Indigetem,
Syrmate conspicuus picturatoque Cothurno:
Jpse quibus Magnus plaudit, & ore favet.
J nunc, grandiloqui Iephtem obijce Buchanani,
Caesara Mureti, Lucifèrum Aemcrij.
Francia si Flandris, Gandae Levinia praestat;
Huius & illorum fac monimenta legas:

Jlla quidem magnis iurabis scripta Poëtis,
Haec Nisae & Cyrrhae composuisse Deos.

In evndem.

SOl, ocule caeli, temporis cani pater,
Orbem citato flammeum cursu vehens
Inane vastum per micantis aetheris:
Necdumne abhorrens tot videre tristia
Stas irretortus, os & aduersum tenes?
Non aureum te, at ferreum mortalibus
Putare fas: miserrimis mortalibus.
Natura mollia dedit auro pectora,
Non vim proteruiamve sustinetia
Vllius vnquam. vim pati, aut proteruiam,
Et non moueri, conuenit ferro truci,
Quod Mulciber, quod triste Cyclopum genus
In officinis mulcet vsque Lemnijs.
Ergo ille mundi rector & specimen sui,
Proles Tonantis atque imago maximi,
Cui cuncta prono seruiunt fastigio,
Et vsque & vsque pressus aerummâ gravi,
Acerba semper experitur munia
Insontis aeui? Phoebe fers haec, & vides?
Ah dure Phoebe, Phoebe dure, quamdiu?
Auerte vultus, nubibus densis caput
Atratus infer, & dolori lachrymas
Testes doloris funde perpetes tuo.
Et tu triformis Luna, fraternos age
Imitare luctus, rega noctis abijce

Peritura semper quid resumis cornua,
Et damna toties te fatigas in noua?
Quin pone curas, & quiesce: taedeat
Aliquandò tandem viuere mori vt debeas.
Ducem requirat orba stellarum cohors
Errans tenebris inuiis, & semitâ
Caecâ viarum non suum tenens iter.
Obductus aether igneas condens faces,
Quarum benigno suevit orbem lumine
Lustrare laetus, seculorum millia
Fleat, pluatque; tristis ipse gurgite
Dominator alti ab infimo Nereus feret
Opem, suoque humore flentem nutriet,
Ne sit dolore luctus improbo minor.
Confundat & se quicquid vspiam latet,
Hominísque doleat fata, fata tristia,
Indigna fata sorte tanti Principis,
Quem Parca magnae destinârat arbitrum
Telluris huius, quem profundi, & mox poli.
Deiectus ergo sede regiâ jacet
Ille ille princeps, iura rebus anteà
Dictare natus omnibus; miser jacet.
Tenent habenas, quae tenere nesciae,
Curae, labores, lachrijmae, aerumnae, doli,
Ambitio, vísque, iniuriae, periuria,
Vindicta trux, inuidia, & irae plumbeae,
Scelus, nefasque, & quicquid atram trans Stijgae
Peperére Furiae, prolis infestae, malae.

*Moderamine îsto, talibusq*ue *legibus*
Regnatur orbis, hisce dominis subditus
Suspirat altè, & optat antiquum chaos:
*Gestit perire, fataq*ue *incusat suis*
Ignava votis; seculum momenta sunt.
Ad prima tantae machinae incunabula
Imperia reges gentibus dabant suis
Honesta, mitia: nulla vis, iniuria,
Non ambientum fastus, aut superbia.
Populos premebat, & sacrum cunctis erat
Nomen tyranni nescijs tyrannidis.
Non legibus quisquam teneri, principum
Arbitria leges promptius párentibus:
Rex pro parente, subditi pro liberis,
Regnum familia, regium in regno nihil.
Augusta aligno sceptra fiebant rudi,
Armenta queîs nunc terreat pastor sua.
Corona non auro grauis, non iaspide,
Sed lana mollis nubiebat verticem.
Integritas ô sancta, & ô simplex fides!
O terror iste qui timendus nemini,
Et fastus in quo cerneres fastûs nihil.
*Suum cüiq*ue *erat satis: non patrios*
Proferre cura, non cupido terminos.
Quod quis tenebat hoc putare amplißimum:
Non quaerere vltrà quidpiam, nec sanguine
Contaminare iusta patrimonia.
Speciem vniversi cuncta complexu suo

Habere, & omnem parua mundum patria.
Beata secla ter, quater! secla aurea!
Sed haec fuêre? ah, ah, fuêre? nunc miser
Rotatur orbis, sistiturque in verticem,
Pendetque praeceps, atque in ima Tartara
Metuit ruinam, molis haud vltrà potens.
Et ille preßis caelifer vestigiis
Excussus Atlas, dente terrarum sola
Iam provolutus mordet, ac casum gemit:
Caelumque quamuis fornice astrictum suo,
Vix sustinens se, mox premet tibicinem.
Hoc ergo rerum, Heynsi, atque temporum statu:
Aptè cothurnum pedibus imponis tuis,
Belgîque turbas ore sublimi canis.
Quin latiore Musa ducat tramite
Posthac euntem, sume quidquid obuium.
Habebis isto vbique dignum Carmine.
Tragoedia aetas omnis, omnis orbis est.

IOANNES MEVRSIVS.

Apostrophe Ad Belgium

Illa dies magnum quae funere mersit acerbo
AVRIACVM, *quot tunc trista damna dedit!*
BELGIA *quae fueras hoc tanto Principe foelix,*
Illo interfecto nil nisi funus cras.
Et tibi prae luctu ingenti vox faucibus haesit,
Cum domini cuperes plangere fata tui.
MAVRITIO *regnante iterum nun ora resoluis,*

(Aurea qui nobis saecula restituit,)
AVRIACI *indignam mortem dum carmine plangis*
HEYNSIADAE*, quo quis doctior, aut melior?*
Cui puero dixit, (cum quondam quaereret) Echo,
MAEONIDEM AVRIACO *me fore reris? eris.*
O foelix Princeps, cui vates obtigit ille,
Qui poterit factis scribere digna tuis.
O foelix HEYNSI*, cui tantus dicitur Heros,*
Qualem vix vnquam postera saecla ferent.
Manibus AVRIACI *reddis nunc* BELGIA *grates,*
HEYNSIVS *vt poßis reddere digna, facit.*
Ergo suo debet nunc quantum BELGIA *vati?*
AVRIACO, HEYNSIADES: HEYNSIADAE, AVRIACVS?

Balthazar Lydius M.L.F. Palatinus

Ad eundem.

Principis AVRIACI *superatam vulnere vitam*
HEYNSIVS *in numeros cogit abire suos.*
*Dumq*ue *parat memori solemnia soluere versu,*
AVRIACVM *vitae reddidit & patriae.*
Parce, parentali quisquis feralia busto,
Et tumulis reddis ultima dona suis:
Vivit adhuc Famae AVRIACVS*, consorsque futur*j:
Inter mortales non moriturus agit.
HEYNSIVS *hunc morti subduxit: & exuit atro*
Sacratum tenebris nomen inane rogo.
Est aliquid morti memoratâ morte mederi,

Et tumulo tantos eripuisse viros.
Scilicet huic frustra mortem meditatus IBERVS,
HEYNSIADE *medicâ si medeare manu.*

Amico non è multis posuj D. Heremitivs. Antuerp.

Quia primâ oblatâ occasione Elegias nostras, Heroidum Epistolas, & reliqua quae eò spectant, volente Deo, edituri sumus, simul ne morum magistri semper, aut Catones videamur; adiungemus Elegiarum nostrarum aliquam, quae in manus nostras veniet, ita tamen vt in eâ quoque Batavorum, ac praesertim moris illius quem hac hyeme toties vidimus, fiat mentio. ne planè ἀπροσδιόνυσος sit hic, quem praebemus, gustus.

Exelegiarvm Lib. V Ad cognominem meum Heinsivm Ivrisconsvltvm, è peregrinatione reducem.

Ergone tam dulces potuisti linquere terras,
In Batavosque Heinsi, nostraque regna vehi?
Hactenus in nostris potuisti haerere pruinis,
Nec tua mitis adhuc pectora flexit amor?
Liuia iam maestis lachrymam distillat ocellis,
Et queritur fluxam, sola relicta, fidem.
Dinumerat cunctas miseranda ex ordine noctes,
Dinumerat cunctos, vt solet, illa dies.
Forsitan & Pontum lachrymans prospectat & vndas,
Quotque videt puppes, tot putat esse tuas.
Et modo crudeles causatur nescia ventos,
Et modo turbatas nescia culpat aquas,

Multaque de Batauis toties rogat illa puellis:
Scilicet an placidas gens ferat illa Deas.
Et timet infelix, alio ne saucius igne
In Batauis certos fixerit ille lares.
Blanda Venus quantis iactatur pallida curis!
Blanda Venus quantus pectora versat amor!
Et modò rumorem populi scrutatur, & horret,
Perfidiaeque omnes arguit illa viros.
Ah quoties ventos vaga captat, & aëra cernens
Num faueat votis, consulit aura suis.
Tu procul horrentem percurris frigore Rhenum,
Et nimio vinctas flamine tundis aquas.
Hic vbi turba leuis tenerûm glomeratur amantum,
Et sequitur faciles iuncta puella viros.
Hej mihi, si nescis, mediâ Venus errat in vnda,
Materies culpae quot dabit illa tuae!
Aspicies dulces celeri pede currere Nymphas,
Et cupies, placidas iungere posse manus.
Ah miser, ah, hic dum pedibus talaria nectes,
Officij precium basia bina feres:
Interea lentas queritur tua Livia noctes,
Et nimium tardos pergere solis equos.
Scilicet ignorat Batavas tua Liuia lymphas,
Vt Venus in mediis aurea regnet aquis.
Ah tibi cor circum glacies tenet! ah tibi pectus
Quae Batauum vinxit flumina, vinxit hyems.
Hej mihi, si nec te lachrymae tenuâre, nec illa
Brachia, quae collo succubuêre tuo.

Ferree, si nec te gemitusque, leuesque susurri,
*Quaeque feros poteran*t *tangere verba Deos.*
Cum malè turbato nimijs singultibus ore
Defuit in voces vltima lingua suas.
Cum tibi pro verbis, tepido modò basia vultu
Soluit, in amplexus tota soluta tuos.
Languida cum maestos genitrix vix sisteret imbres,
Adderet &: reducem iam feret ille pedem.
Ille pedem referet, mediâ qui fixus in aulâ
Nassouiosque enses, & vaga signa gerit.
Iupiter, vt cuncti potius pereatis amantes
Quam lachrymas fundat vna puella suas!
Scilicet, hîc ardes patrios reparare triumphos,
Vtque tibi victus cedere discet Iber.
Interea blandus Veneris languescat vt ardor,
Eque tuo dulcis pectore cedat amor.
Falleris ardentem sequitur Venus aurea Martem,
Ah nimium Martem diligit illa suum.
Illa solet tristes vlcisci militis ausus,
Quique parat victor laedere, victus abit.
Dij faciant densum quoties prorumpis in agmen
Hic subeant oculi Liuia pulchra tui.
Hic subeant lachrymaeque, & inania basia, voxque,
Hic subeant agiles in tua colla manus.
Hic subeat, qualis lepidos cum flexit ocellos
Corda tibi dulcis mollia flexit amor.
Ah miser, ah cedes placido summissus amori,
Et fluet è digitis ensis & hasta tuis.

Nec poteris flexas pauidus versare cateruas,
Nec poterunt faciles, vt prius, ire manus.
Protenus occurret tua Gallia, spesque, fidesque:
Nec tibi quid vocis, nec tibi mentis erit.
I[l]licet, ardentem galeâ circumdare vultum,
Terribilisque alto vertice surgat apex.
Cristaque summa levi circum tremat horrida vento,
Et subeat nutus tota Medusa tuos,
Nos Veneris pia gens faciles sectemur amores,
Et gremium dominae, sint mea castra, meae.
Hic ego versatos contemnam fortiter enses,
Missaque quae fuerint omnia tela, feram.
Diva Venus, Venerisque leues faueatis Amores,
Haec series vitae tota futura meae est,
Osculaque, & mites obliquo lumine risus.
Inuideant somnis claßica torua tuis.
Me volucrum lenes suadebit inire sopores
Murmur, & in viridem serpere coget humum.
Rura colam, Rossaeque genas: sic alter & alter
Heynsius arma feret, Heynsius arua seret.

FINIS.